DE PESTE PERICLIS AETATE ATHENIENSES AFFLIGENTE

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-HISTORICA

QVAM
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE

D. CAROLO GOTTLOB KVEHNIO
PHYSIOLOG. ET PATHOLOG. PROF. PVBL. ORD. FAC.
MED. ASSESS. ACADEM. DECEMVIR. VTRIVSQVE
COLLEGII PRINCIP. SODALI VARIAR. SOCIETATVM
ERVDITARVM MEMBRO HONORARIO ETC.

PRO SVMMIS
IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS
DIE XIII. MENSIS APRILIS A. R. S. MDCCCXXI
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV
IN AVDITORIO IVRIDICO
HORIS CONSVETIS
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHOENCKE
BVDISSA ORIVNDVS
MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA CAROLI TAVCHNITII.

ἧκε δ᾽ ἐπ᾽ Ἀργείοισι κακὸν βέλος· οἱ δέ νυ λαοὶ

θνῆσκον ἐπασσύτεροι· τὰ δ᾽ ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο

πάντῃ ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν.

Ἰλιαδ. Α. 382—384.

VIRO

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO

FRIDERICO CHRISTIANO

DE CRIEGERN

DOMINO IN THVMITZ

POTENTISSIMO SAXONIAE REGI A CONSILIIS

PRAEFECTVRAE SVPREMAE ORDINIS SAXONICI

VIRTVTIS CIVICAE INSIGNIBVS DECORATO

PATRONO LONGE INDVLGENTISSIMO.

Musa, quis est, cuius venerando nomine parvos
Conatus possim condecorare meos,
Vt sint exiguum specimen summae pietatis
Et testes animi, qui bene facta colit?
Suaviter et dixit mihi Musa: „Est Vnus in urbe,
„In qua prima tibi splenduit alma dies,
„Qui quacunque viget virtute, et qui probitate
„Pulcrum proponit, quod teneant alii!
„Exemplum; est aditus cunctis patefactus ad Ipsum,
„Comiter excipitur, qui petit auxilium.
„Propterea cunctis etiam urbis amore tenetur
„Civibus, et resonant omnia laude Sua."
Et tacito volvens animo, quae dixerat illa:
Quis tamen est — reputo — qui levet auxiliis
Magnanime cunctos, quos vexant ardua rerum,
Et qui quemque iuvet consilio placido,

Tu nisi, Vir Generose et Splendide? quem venerari
Pectora me cogunt, quae Tibi sunt dedita.
Non est, cur referam laudes, Tua facta loquuntur;
Non est, cur dicam, quam bene sis meritus
De patria, testatur enim incola quisque Budissae,
Testantur cuncti, qui quid agis videant.
Montes altisoni Tua facta sibi bona narrant,
Spreeïadesque sonant laude Tuaque strepunt.
Accipias igitur bene, Vir summe Venerande,
Exiguum donum, quod dare non dubito,
Vt Tibi significem, quam sint mihi pectora grata;
Vt tester, quantum Te recolam ex animo
Virtutesque Tuas magnas, cunctis celebratas,
Candorem vitae, iustitiamque, fidem.
Fausta Tibi generiqne Tuo felicia quaevis
Eveniant, hoc est, quod peto mente pia;
Et velis animum mihi conservare benignum,
Quo dignus reddar, fortiter efficiam.

PRAEFATIO.

Fortassis mirum videtur, quod scribendi materiem elegerim, quae minus ad artem medicam faciendam spectet. Quare iam pauca hac de re dicere necessarium duco.

Magnum inter artis medicae cultores in eo videre licet dissensum, quid prae ceteris sit tractandum et addiscendum, ut artem feliciter quondam exerceant, quod igitur arti faciendae propius accedere, et quod ab ea remotius esse censeant. Sunt, qui Musas omnes ex arte medica expellere cupiant, in animum haud inducentes, Apollinem non artis solum medicae, sed omnium omnino artium bonarum et liberalium Deum esse. Cur enim artem salutarem dicimus Apollineam? Ex mea quidem sententia non eam solum ob causam, quod Apollo morbos hominibus immittere eosque iterum morbis liberare dicitur, sed simul ne, qui boni volunt esse medici, negligant, quod est humanitatis et ad artes spectat ingenuas. Summus Hippocrates, qui fere semper, quid verum sit et rectum, tenuisse videtur, optime dicit: *ἰητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος.* Et profecto non intel-

ligere isti videntur, quanta utilitas ex artibus bonis colendis in disciplinam redundet medicam, verbum commutantes cum re. Qui ex. gr. graeca tractant atque latina, id non vocum graecarum latinarumque causa faciunt, sed ut bene et recte cogitata, pulcre et concinne dicta, strenue et fortiter facta videant, ament animisque informent, ut igitur animum excolant, ingenium exacuant, ut, quae bona sunt atque honesta, ex aliorum spectent exemplis et ea sequantur. Profecto idem de nobis ista legentibus valet, quod Plutarchus Chaeronensis, dum vitas parallelas literis mandaret, dixit: se bonorum virorum vitam describendo indies meliorem evadere. Qui studio igitur, quod in artibus bonis colendis posuerunt, rite praeparati sunt, quodvis opus aliter aggrediuntur, ac illi, quorum animus non ita formatus est; quidquid enim dicunt vel agunt, speciem prae se fert, ut ita dicam, humanam et sublimem. In uniuscuiusque memoriam revocare mihi liceat Horatianum illud notissimum: Ingenuas didicisse fideliter artes, Emollit mores nec sinit esse feros.

Alios deinde vidi, qui disputandi argumentum vel ex physiologia, vel ex pathologia depromerent. At vero num ex. gr. disquisitiones physiologicae sublimiores magis ad medicinam exercendam faciant, quam morbi cuiusdam epidemici et quidem gravis-

simi maximamque edentis stragem descriptio, vix putaverim. Ingenue hic atque aperte profiteor, me ab eorum partibus non stare, qui sperant fore ut multos fructus ab istis disquisitionibus, omni saepius destitutis experientia, in arte medica facienda percipiant; quanquam ab altera parte mihi persuasissimum sit, sine physiologia vera neque pathologiam, neque iustam medendi rationem cogitari posse. Quare in disciplina nostra nec humi repere, nec coelum petere fas est; nam prius vermium est, alterum eorum, qui spiritu feruntur divino. Qui vero coelum appetit, caveat, ne sibi contingat quod Icaro, qui nomen dedit ponto.

Sed ut redeam, unde digressus sum. Quod apud animum meum constituerim, de peste verba facere, quae bello peloponnesiaco, praecipue Periclis aetate, Athenienses tam graviter afflixit eorumque vires fregit, quod — inquam — hac de re disserere mihi proposuerim, amor me praeprimis excuset, quo Graecos amplexus sum, ex quo mihi contigit esse tam felici, ut eorum scripta secundum ingenii mei modulum intelligere, et dicta eorum factaque praeclara admirari possem. Vidi eos victores ad Marathona et Salamina, virtutes Aristidis et Phocionis animum mihi commoverunt, ut taceam, quantum singulis eorum poëtis vel scriptoribus debeam, nonne me, fidum amicum, decet ad miser-

rimam usque vitae conditionem eos prosequi, in quorum rebus secundis laetitia exultabam? Valde quidem commovemur adspectu mortis, cui hoc morbo correpti plerumque dati sunt, tam funesto atque horrendo! Sed sensibus nostris non obiici tantum possunt, quae blanda sunt et iucunda; adspectus talis potius ferendus est, ne, si simile quid nobis occurrat, turbemur et mentis constantia privemur, quam retineamus ad opem hominibus ferendam necesse est. Praeterea si uno quasi intuitu comprehendimus, quae hoc in orbe terrarum facta sunt, nec in singulis tantum haeremus, quibus homo vel gens (nam altiora petentibus et omnem omnino historiam simul complectentibus homo et gens unum idemque est) premitur, profecto ad aeternum quoddam atque divinum ducimur, quo omnes nituntur mutationes, quas vel terra vel animantes eam incolentes subierunt et subeunt. Quae quidem contemplatio mirifice animum extollit et efficit, ut humilia contemnamus et sublimia tendamus.

Neminem, me non monente, latebit, quibus ex fontibus morbi descriptionem hauserim. Sunt Thucydidis Peloponnesiaca, in quorum libro IIdo quilibet brevem et concinnam morbi historiam inveniet, et Car. Lucretii liber VItus de rerum natura, qui Thucydidem presso sequitur pede. Serius in meam venit notitiam Theodosii Georgiadis, Daci,

Diss. de peste atheniensi, a Thucydide descripta. Quid discriminis inter huius meamque intercedat scriptiunculam, comparatio quemlibet doceat.

Pauca iam de ratione subiungenda sunt, quam in peste Atheniensium describenda secutus sum. Nonnullis primum de tempore, quo pestis regnavit, praemissis, ad originem et causas morbi explicandas transibo; quo facto morbum ipsum explanabo; deinde docebo, quos ille habuerit exitus; tum verba faciam, quo modo in mores hominum et animos morbus egerit; cui pauca adiiciam de Periclis morte et de Socrate, morbum pestilentem non experto; et denique dicam, qua ratione morbi, praesertim pestilentes olim profligati sint, quid ad pestem avertendam Athenienses fecerint, et quinam ipsis tunc temporis opem tulerint medicam.

Ceterum nihil magis in votis habeo, quam ut haec pauca Lectores benevole excipiant et saltem animum spectent.

CAP. I.

Nonnulla de tempore, quo pestis Athenienses oppressit.

Si ulla unquam aetas fuit, quam iure meritoque auream dicimus, profecto eam hoc nomine dignam censebimus, qua Pericles summam rerum Athenis administravit. a) Omnes artes excultae erant, quae usus praebent et vitam ornant; templa exstructa erant magnifica, in quibus, quidquid summorum artificum mens cogitaverat et finxerat, videre licuit; loca publica, in quibus vel conciones ad populum habitae sunt, vel ius dictum est, summis splenduerunt ornamentis; Pericles ipse, quaqua potuit re, insignem tribuit patriae urbi splendorem. Quid enim Propylaeorum, quid Partheni, Odei, quid Poeciles, et quae reliqua sunt opera magnifica et praeclara, summam omnium admirationem excitantia, faciam mentionem? Quibus in operibus vel moliendis vel exornandis quam maxime ipsum Phidias adiuvit. b) Nihil praeterea loquor de poëtis, nihil de philosophis, nihil de oratoribus, qui hac

a) v. Plvtarch. in *vit. Pericl.* p. 159. (Ed. Francf.) ὅ δὲ (sc. *Περικλῆς*) πλείστην μὲν ἡδονὴν ταῖς *Ἀθήναις* καὶ κοσμὸν ἤνεγκε, μεγίστην δὲ τοῖς ἄλλοις ἔκπληξιν ἀνθρώποις etc. Conf. Max. Tyr. *Diss.* XIII. p. 236 (Ed. Reiske) qui dicit urbem ἀκμαζούσην πλήθει ἀνδρῶν καὶ μεγέθει ἀρχῆς, καὶ δυνάμει χρημάτων καὶ εὐπορίᾳ στρατήγῶν, ὑπὸ *Περικλεῖ* δυναστεύοντι.

b) v. Plvtarch. *in vit. Pericl.* πάντα δὲ διεῖπε καὶ πάντων ἐπίσκοπος ἦν αὐτῷ Φειδίας, καίτοι μεγάλους ἀρχιτέκτονας ἐχόντων καὶ τεχνίτας τῶν ἔργων. Est Iupiter Olympius, est Minerva, quibus immortalem Phidias ipse consecutus est gloriam.

floruerunt aetate et in omnium ore versantur. Quare hanc Periclis aetatem haud inepte cum Romanorum Augustea et Aegyptiorum aetate Ptolemaeorum comparare possumus, quamvis quaelibet aetas singulare quid prae se ferat, quo una ab altera facile distingui poterit.

Sed haec rerum facies proh dolor! subito mutata est. Athenienses et Lacedaemonii invidia sese et odio persequuntur, quaelibet eorum civitas magnitudinem alterius et gloriam inique fert, alterique ut palmam praeripiat, omnes intendit vires; quare sibi invicem bellum inferunt, suorum agros depopulantur, omnia caede atque incendio devastant et ita suas ipsi frangunt vires. Marte ancipite bellum peloponnesiacum per XXVII annos gestum est. Qui eius fuerit eventus, neminem fugit historiae graecae aliquantisper peritum. Lacedaemonii principatum (ἡγεμονίαν), de quo inter se contenderant, obtinuerunt, et aliorum legibus parere Athenienses dira necessitas coëgit. [a)]

Quae quidem pauca praemittere necessarium duxi, ut, quae sequuntur, melius intelligerentur, inprimis autem, ne ullum miseriae fugerent maximae, quibus Athenienses illo tempore pressi sunt.

Legimus in *Thucydidis* historia belli peloponnesiaci, pestem pluries plus minusve grassatam esse; Athenienses primum constanter animoque forti miserias tulisse; Peloponnesiis vero secunda vice in Atticam irrumpentibus, maloque

---

a) Graviter doluit *Pausanias* rem Graecorum bello peloponnesiaco labefactatam, adeo ut in omnes maxime inveheretur, qui hoc in bello primas tenuissent vel virtute aliqua excelluissent, eos parricidas esse et prope demersores Graeciae, dicens. v. PAVSAN. *Graec. Descript.* Lib. VIII. p. 705 (Ed. Kuhn. Lips. 1696) *φαίη τις ἂν αὐτόχειρας καὶ ὅτι ἐγγύτατα ποντιστὰς εἶναί σφᾶς τῆς Ἑλλάδος.*

pestifero in urbem recurrente, animum eos despondisse et Pericli praecipue succensuisse, quem istorum malorum auctorem habuerint, quod ipsos in urbe contineret nec contra hostem educeret. [a] Pericles vero eos adhortatus est, ne animos abiicerent et singulorum salutem reipublicae saluti anteponerent, in mentem simul revocans, proelium neutiquam terra ipsis ineundum esse, mari tantum pollentibus. [b]

CAP. II.

De origine et causis morbi pestilentis.

Teste *Thucydide*, malum in Aethiopia, ut fertur, exortum, in Libyam descendit et Aegyptum, magnam deinde regni Persarum partem peragravit, et derepente Athenis apparuit. [c] Eam fuisse pestis originem, *Galenus* [d] quoque, *Plutarchus*, [e] *Maximus Tyrius* [f] et *Ammianus Marcellinus* [g] testantur. Causam, cur in Aethiopia et Libya morbi

---

a) v. Thucyd. *de bell. pelop.* Vol. II. p. 86. (Ed. Bip. 1788.) conf. Plutarch. *in vit. Pericl.* p. 171. τοῦτο δ' αἴτιος ὁ (sc. *Περικλῆς*) τῷ πολέμῳ, τὸν ἀπὸ τῆς χώρας ὄχλον εἰς τὰ τείχη καταχεάμενος καὶ πρὸς οὐδὲν ἀνθρώποις τοσούτοις χρώμενος, ἀλλ' ἐῶν ὥσπερ βοσκήματα καθειργμένους, ἀναπίμπλασθαι φθορᾶς ἀπὸ ἀλλήλων, καὶ μηδεμίαν μεταβολὴν μήδ' ἀναψυχὴν ἐκπορίζων.

b) v. Thuc. p. 87 πανταχόθεν τῇ γνώμῃ ἄποροι καθεστῶτες, ἐνέκειντο τῷ Περικλεῖ· ὁ δὲ — ἐβούλετο θαρσῦναι — iam sequitur oratio egregia, quam Pericles habuit, ut culpa sese liberaret. Conf. Plutarch. *in vit. Per.* p. 170.

c) v. Thuc. p. 71. Conf. Lucret. *de rer. nat.* lib. VI. v. 1139 et seqq.

Nam penitus veniens Aegypti e finibus ortus,
Aëra permensus multum camposque natanteis,
Incubuit tandem populo Pandionis.

d) v. Galen. *de ther. ad Pison.* T. II. p. 467 τὸν λοιμὸν ἐκεῖνον τὸν ἐκ τῆς Αἰθιοπίας εἰς τοὺς Ἕλληνας φθάσαντα, —

e) v. Plutarch. *de his, qui sero a num. puniunt.* p. 558 καίτοι θαυμασιώτερον, εἰ πάθους ἐν Αἰθιοπίᾳ λαβόντος ἀρχὴν, ἀνεπλήσθησαν αἱ Ἀθῆναι.

f) Max. Tyr. *Diss.* XIII. p. 236 λοιμὸς ἐξ Αἰθιοπίας ἀρξάμενος καὶ καταβὰς διὰ τῆς βασιλέως γῆς, καὶ τελευτήσας ἐκεῖ, καὶ ἱδρυθεὶς αὐτόθι ἔφθειρε τὴν πόλιν.

g) Amm. Marcell. Lib. XIX. c. 4. clades — ab usque ferventi Aethiopiae plaga paulatim proserpens Atticam occupavit. Auctor paulo ante Thucydidem attulit testem.

gignantur pestilentes, *Strabo* [a] in Geographicis, Posidonium loquentem inducens, affert: raris enim parvisque fluminibus Libyam irrigari, quod de regionibus mediterraneis verius affirmari possit; cuius rei causam esse, quod in partibus septentrionalibus coelum pluvias non demittat, quemadmodum neque in Aethiopia; hinc saepe propter siccitatem pestes incidere et lacus coenosos fieri locustarumque existere copiam.

Pestem iam antea in multas incidisse regiones, ut in insulam Lemnum, *Thucydides* narrat. [b] Morbus homines in Piraeeo primum invasit, deinde in superiorem urbis partem migravit; [c] quare veri est simile, navem contagio contaminatam in portum intravisse morbumque ita per urbem diffudisse. [d] Atheniensibus nimirum e Sicilia et Aegypto frumenmentum advectum est, cum agri, quanto opus esset, non ferrent. [e] Rumor ab initio, ut *Thucydides* refert, in vulgus sparsus erat, a Peloponnesiis venena puteis esse immissa. [f]

---

a) Strab. *Rer. geogr.* Lib. XVII. p. 830 (Ed. Casaub.) conf. Amm. Marcell. Lib. XXII. c. 15. Imbres enim apud Aethiopes aut nunquam, aut per intervalla temporum longa cadere memorantur. Prosp. Alp. *Med. Aegypt.* Lib. I. c. 15. 16. Plin. H. N. Lib. XXXI. c. 29. Cic. *de nat. deor.* Lib. I. c. 36. ubi ibes pestem ab Aegypto avertere memorantur, cum volucres angues consumant.

b) v. Thuc. p. 70. *καὶ πρότερον πολλαχόσε ἐγκατασκῆψαι, καὶ περὶ Λῆμνον καὶ ἐν ἄλλοις χωρίοις.*

c) v. Thuc. p. 71. *καὶ τοπρῶτον ἐν τῷ Πειραιεῖ ἥψατο τῶν ἀνθρώπων — ὕστερον δὲ καὶ ἐς τὴν ἄνω πόλιν ἀφίκετο.*

d) Eandem tuetur sententiam Barthélémy in *Voy. du jeune Anach.* T. I. p. 306 un vaisseau marchand l'introduisit sans doute au Pirée.

e) v. Demosth. *adv. Lept.* T. I. p. 460 (Ed. Reiske) Commercium, quod Athenienses cum Aegyptiis habuerunt, comprobant loca in Demosth. *adv. Dionysod.* p. 1284 *ὅτι βούλονται δανείσασθαι ἐπὶ τῇ νηΐ, ἐφ᾽ ᾧ τε πλεῦσαι εἰς Αἴγυπτον, καὶ ἐξ Αἰγύπτου εἰς Ῥόδον ἢ εἰς Ἀθήνας.* p. 1293. *Ἀθήνηθεν εἰς Αἴγυπτον καὶ ἐξ Αἰγύπτου Ἀθήναζε.*

f) v. Thuc. l. c. *καὶ ἐλέχθη ὑπ᾽ αὐτῶν, ὡς οἱ Πελοποννήσιοι φάρμακα ἐσβεβλήκοιεν ἐς τὰ φρέατα.* Conf. Aret. *de caus. et sign. morb. ac.* Lib. I. c. 7. ubi eiusdem rumoris mentio fit. Bene cognovit auctor similitudinem, quam morbi habeant et medicamenta lethalia, his usus verbis: *καὶ νοῦσοι φαρμάκοισι δηλητηρίοισι ἴκελαι, καὶ ἀπὸ φαρμάκων ἐμέουσι, ὁκοῖα πυρετῶν εἵνεκα.*

Quem quidem rumorem falsum fuisse, nullus dubitabit, morbis, quos venena efficiunt, aliam prae se ferentibus naturam, quamvis multam habeant similitudinem. Longum foret, plura hac de re facere verba. Sunt vero exempla talis veneficii, quod obsessi experti sunt, ut ex oratione *Thessali*, filii Hippocratis magni, ad Athenienses patet. Cirrha nimirum, oppidum in Phocide haud procul a Delphis situm, ab Amphictyonibus hoc artificio capta est. a) Narrat *Pausanias*, Nebrum hellebori radices in Plistum amnem coniecisse, unde Cirrhaei, qui aquam biberint, alvi profluvio vexati, urbis praesidia deserere coacti sint. b)

Iam causae mali veniunt explicandae. Omnes graviores eventus, qui non admitterent interpretationem, diis ac daemonibus veteres adscripserunt. Et bene monet *Hippocrates*, homines ex imperitia et admiratione morbis divinam tribuere naturam et causam, ironice quasi subiungens: si divinum esse censemus, quod admirationem habet, multos futuros esse morbos sacros. c) Quanquam vero rerum causae penitiores nos fugiant, in iis tamen eruendis segnes esse atque inertes dedecet, cum natura hominem ad causas indagandas ducat. Semper iuvabit tale quid invenisse, licet summo illo principio divino atque aeterno cuncta nitantur et sustententur.

---

a) v. *Orat. Thess.* (Hipp. *Oper.* Sect. VIII. p. 1291. Ed. Foës. Genev. 1657.) *Νεβρὸς φαρμάκοισιν ἐμίηνε τὸ ὕδωρ· ἔνθεν αἱ κοιλίαι τῶν Κρισαίων ἐφθάρησαν· καὶ μεγάλα δή τι ξυνεβάλετο πρὸς τὸ ἁλῶναι τὴν πόλιν.*

b) Pausan. Lib. X, c. 37. ὁ δὲ τοῦ ἐλλεβόρου τὰς ῥίζας ἐμβαλὼν ἐς τὸν *Πλεῖστον* – καὶ ἐνεφορήσαντο γὰρ ἄδην οἱ *Κιῤῥαῖοι* τοῦ ὕδατος, καὶ οἱ μὲν ὑπὸ ἀπαύστου τῆς διαῤῥοίας ἐξέλιπον – τὴν φρουράν. Conf. Sprengel *Vers. ein. pragm. Gesch. d. Med.* T. I. p. 220. Talis veneficii mentionem quoque facit Bacon. *Hist. nat.* p. 950. ubi nomine aquae intoxicationis venit.

c) v. Hipp, *de morb. sacr.* Sect. III. p. 301. 19. *εἰ δὲ διὰ τὸ θαυμάσιον θεῖον νομιεῖται, πολλὰ τὰ ἱερὰ νουσήματα ἔσται, καὶ οὐχὶ ἕν.*

Constat inter omnes, morbos, praesertim qui more grassati sunt epidemico, ad Apollinem a Graecis relatos esse. Varia inde Apollo consecutus est cognomina, quae cum a morbis sumta sunt, quibus genus humanum infestavit, tum ab auxilio, quod invocatus hominibus tulit. Memoratu dignum videtur, veteres in uno eodemque posuisse deo morborum causam et curationem. Qui morbos provocare potest, iis quoque mederi posse arbitrati sunt. Sic Apollo *ἀλεξίκακος* ab Atheniensibus,[a] *ἐπικούριος* a Phigaliis,[b] *λοιμιός* a Lindiis[c] et *παιών* ab omnibus vocatus est, unde *παιάν*-[d] hymnus in Apollinem, quem morbis grassantibus veteres cecinerunt; quod verbum ad alia deinde translatum est. Narrat *Strabo*, Milesios et Delios Apollinem vocare *οὔλιον*, utpote salutiferum et medicum; nam *οὐλεῖν* sanum esse, unde *οὐλή* (cicatrix) et *οὖλε* (salve).[e] *Thucydides* scribit, Lacedaemonios oraculum delphicum consuluisse, num ipsis bellum contra Athenienses movendum esset; et deus respondisse dicitur: ipsos fore victores, si fortiter et strenue bellum gerant, seque ipsis auxilium esse laturum.[f] Addit auctor noster, morbum statim grassari coepisse,

---

a) v. PAVSAN. Lib. I. c. 3. *πρὸ δὲ τοῦ νεὼ τὸν μὲν Λεωχάρης, ὃν δὲ καλοῦσιν Ἀλεξίκακον, Κάλαμις ἐποίησε· τὸ δὲ ὄνομα τῷ θεῷ γενέσθαι λέγουσιν, ὅτι τὴν λοιμώδη σφίσι νόσον ὁμοῦ τῷ πελοποννησίῳ πολέμῳ πιέζουσαν κατὰ μάντευμα ἔπαυσε Δελφῶν.*

b) v. PAVSAN. Lib. VIII. c. 41.

c) vt MACROB. *Saturn.* Lib. I. c. 17. ubi varia extant Apollinis cognomina, ratione etymologica spectata. Conf. SPRENGEL *Gesch.* p. 125 et sqq. et LE CLERC *Hist. de la med.* Lib. I. c. 8. p 18 et sqq.

d) v. ETYM. M sub voce *παιάν* — *ὕμνος ᾠδῆς ἐπὶ ἀφέσει λοιμοῦ ᾀδόμενος* — *οὕτω γὰρ ἡδίως αὐτοὺς τῷ Ἀπόλλωνι καὶ τῇ Ἀρτέμιδι προσέφερον, ὡς αἰτίοις τῶν λοιμικῶν παθῶν.*

e) v. STRABO Lib. XIV. p. 635.

f) v. THVC. p. 82. *κατὰ κράτος πολεμοῦσι νίκην ἔσεσθαι, καὶ αὐτὸς ξυλλήψεσθαι.*

simulac Peloponnesii in Atticam irrupissent; unde cognovissent, Apollinem promisso stetisse ipsisque subvenire. Athenienses quoque, cum peste premerentur, carmen quoddam in memoriam revocasse dicuntur, quod ipsis a maioribus traditum erat; et illo primum tempore intellexerunt, qui sensus in illo lateat.[a] *Diodorus Siculus* quoque memoriae prodidit, Athenienses mali tam atrociter grassantis causas numini attribuisse.[b]

Nexum quisque novit, quo Apollini Solem Dianaeque Lunam veteres iunxerunt, quamvis Apollinem a Sole distinguerent. Unde iam Soli et Lunae potestatem tribuerunt, aëris temperandi et pestilentias hominibus immittendi.[c] Aegyptios morbos pestilentes ad Solem retulisse, pariter notum

---

a) v. Thuc. p. 81. Carmen est:

Ἥξει Δωριακὸς πόλεμος καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ

Altercationem nimirum fuisse dicunt, num in carmine λοιμὸς (pestis), an λιμὸς (fames) significatus sit. Evicit iam pestis tempore sententia eorum, qui statuebant, λοιμὸν indicatum esse. Forsan utrumque, λοιμὸς et λιμὸς, valere potest, cum Athenienses malo utroque afflicti fuerint et famem pestis insecuta sit, quanquam alterum pro malo atrociori habendum sit. Conf. *Etym. M.* sub voce λοιγὸς — *γίνεται γὰρ παρὰ τὸ λείπω λοιπός καὶ λοιμὶς ἡ φθορά — ἢ παρὰ τὸ λιμός· λιμος μέν ἐστιν ἔνδεια σίτου, λοιμός δὲ ἔνδεια σωμάτων.*

b) v. Diod. Sic. *Bibl. hist.* T. I. p. 517. *Ἀθηναῖοι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς νόσου τὰς αἰτίας τῆς συμφορᾶς ἐπὶ τὸ θεῖον ἀνέπεμπον.* Varie τὸ θεῖον in medicorum scriptis accipitur, ut modo numen, naturam divinam denotet, quae rerum humanarum praecipua causa est; modo id significet, cuius causam neque sensu, neque cogitatione assequi possumus; modo aëris nos ambientis conditionem (*τὴν τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος κατάστασιν*) indicet. *Diodorum Siculum* hoc in loco numen intellexisse, quod in rebus humanis principatum teneat, inde elucescit, quod statim lustrationis et expiationis mentionem faciat.

Addere mihi hic liceat, Romanos quoque *Febrem* coluisse, utpote saepius ipsis damnum inferentem, cum paludes Pontinae prope Pometiam pestiferum exhalarent aërem (v. Cic. de *nat. deor.* Lib. III. c. 25.) *Mephitis* templum Cremonae ante moenia exstructum fuisse, Tacitus memoriae prodit. (v. *Histor.* Lib. III. c. 33. versus finem).

c) v. Strab. p. 635. *καὶ ὁ Ἥλιος δὲ καὶ ἡ Σελήνη συνοικοῦνται τούτοις* (sc. Apollini et Dianae) *ὅτι τε περὶ τοὺς ἀέρας εὐκρασίας αἴτιοι, καὶ τὰ λοιμικά τε πάθη — τούτοις ἀνάπτουσι τοῖς θεοῖς.*

est.[a] Qua quidem via ad naturales paulatim ducimur causas.

Nullas *Thucydides* in specie affert causas, quibus pestilentia originem debuerit. In libro Imo, ubi de belli peloponnesiaci magnitudine et de damnis verba facit, quae inde toti Graeciae illata sint, terrae motus commemorat, solis defectus, magnas siccitates famesque exinde natas. Quam vim terrae motus habeant et solis defectus in morbis vulgaribus gignendis, nondum certo liquet.

Lucretius, alter auctor gravissimus, quem hic sequi debemus, in universum de ratione loquitur, qua morbi nascantur populares. Dicit, semina morbi in aëre generari, inde latius diffundi atque in varias migrare regiones, quae iis corrumpantur; hunc morbi fomitem aut cum aquis communicari, aut fruges infestare, quibus homines vesci soleant, aut aëri inhaerere, ubi spiritu, quem ducimus, in corpus nostrum intret.[b]

Omnium maxime *Diodorus Siculus* causas morbi pestilentis exposuit. Narrat, magnam imbrium vim de coelo per hyemem decidisse, inde multas exortas esse aquas stagnantes; quae cum aestatis insequentis calore fervescerent et in putredinem abirent, aër vicinus depravatus est.[c] Ob nimias pluvias fruges quoque damnum acceperunt, unde nutrimenta cor-

---

a) v. Clem. Alex. *Strom.* Lib. V. p. 576. *αὐτίκα τὰς λοιμικὰς νόσους Ἡλίῳ ἀνατιθέασιν* (sc. Aegyptii).

b) v. Lucr. v. 1117 – 1135. Conf. Ovid. *Metam.* Lib. VII. v. 528 et sqq.

c) Diod. Sic. l. c. Maxime convenit cum Diodori descriptione coeli, cui pestis Atheniensium originem debuerit, Hippocratis expositio constitutionis pestilentis. V. Hipp. de *morb. vulg.* Lib. III. Sect. VII. p. 1081. sub titulo: *κατάστασις λοιμώδης;* ubi commemorantur: *ἔτος νότιον, ἔπομβριον — ἐν νοτίοισι ὕδατα πολλὰ — χειμὼν νότιος, ὑγρὸς, μαλακός.* Conf. Aet. Lib. III. 162. p 61. (Ed. Ald. 1534.) Paul. Aegin. Lib. I. c. 49. p. 13. (Ed. Basil. 1538.) Aet. l. c. p. 91. *ἔστι δὲ ὅτι ὑγρότερος καὶ θερμότερος ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀὴρ γιγνόμενος, λοιμώδη κατάστασιν φέρει.* Amm. Marcell. Lib. XIX. c. 4.

rupta sunt. Idem habet *Diodorus Siculus* in eo loco, ubi de Rhodiorum peste agit.[a] *Flavius Iosephus* causas recensens, quae morbum popularem in Iudaea et Syria, Herode imperante, induxerint, refert, magnas fuisse siccitates, inde terrae sterilitatem natam esse, adeo ut ne illae quidem fruges provenirent, quas terra alias sponte ferret; victus vero ratione ob inopiam mutata, corpora labem contraxisse et morbum ita exortum esse pestilentem.[b] Quantum alimenta valeant ad morbos gignendos, *Herodotus* quoque dicit, ubi de Aegyptiorum ratione sanitatem tuendi agit.[c] *Diodorus Siculus* tertiam affert pestis causam, quod Etesiae illo tempore non spiravissent, quorum flatu nimius aëris fervor temperaretur.[d] Addit *Diodorus*, calores corporis magnos, quibus aegroti discruciati sint, a coeli fervore pependisse. Quod quidem

---

a) v. Diod. Sic. Lib. V. p. 328. *διὰ μὲν γὰρ τὰς ἐπομβρίας ἐπὶ πολλοὺς χρόνους ἐφθαρμένων τῶν καρπῶν, σπάνις τὲ τῶν ἐπιτηδείων ὑπῆρχε, καὶ λοιμικὴ κατάστασις ἔπειγε τὰς πόλεις διὰ τὴν τοῦ ἀέρος φθορὰν.*

b) v. Flav. Ioseph. *Antiq. iud.* Lib. XV. c. 9. *Πρῶτον μὲν αὐχμοὶ διηνεκεῖς ἐγίνοντο, καὶ διὰ τὸ τοιοῦτον ἄκαρπος ἡ γῆ — ἔπειτα δὲ τῆς διαίτης κατὰ τὴν ἔνδειαν τῶν σιτίων ἐξαλλαττομένης, νόσοι τῶν σωμάτων καὶ πάθος ἤδη λοιμικὸν ἐκράτει.* Conf. Pavl. Aeg. p. 44. *κοινά τε οὖν ἐδέσματα πονηρὰ τίκτουσι τοιαῦτα νοσήματα κοινὰ.* Aet. p. 91. *τῷ δὲ εἶναι τοὺς ἐν τῷ σώματι χυμοὺς ἐκ μοχθηρᾶς διαίτης εἰς σῆψιν ἐπιτηδείους, ἀρχὴ τοῦ λοιμώδους γίγνεται πυρετοῦ.*

c) v. Herod. *Hist.* Lib. II. p. 139. (Ed. Wessel.) *νομίζοντες* (sc. *Αἰγύπτιοι*) *ἀπὸ τῶν τρεφόντων σιτίων πάσας τὰς νούσους τοῖσι ἀνθρώποισι γίνεσθαι.*

d) v. Diod. Sic. l. c. *τὸ μὴ πνεῦσαι τοὺς ἐτησίας, δι' ὧν ἀεὶ κατὰ τὸ θέρος ψύχεται τὸ πολὺ τοῦ καύματος.* *Hippocrates* in constitutione pestilenti, cuius antea memini, his utitur verbis: *ἦρ πάλιν νότιον ἄπνοον — θέρος αἴθριον θερμὸν, πνίγεα μεγάλα· ἐτησίαι γε σμικρὰ διεσπασμένως ἔπνευσαν.* Conf. eundem in *Aphor.* Lib. III. Sect. VII. Aphor. 7. p. 1247. ubi dicit: *ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται·* Galen. *in Hipp. Lib. III. Epid.* Comm. III. p. 419. *γίνεται δὲ τοῦτο* (sc. *πνῖγος*), *μήτε τῶν προδρόμων καλουμένων πνευσάντων, μήτε τῶν ἑπομένων αὐτοῖς, οὓς καλοῦσιν ἐτησίας.* Amm. Marcell. l. c. Etesias nimios temperare calores, vid. Cic. *de nat. deor.* Lib. II. c. 53. Bacon. *in Hist. nat.* p. 835. reiicit eorum opinionem, qui annos calidos et humidos pesti generandae favere contendant. Angliae exemplum affert, ubi per multas aestates, quae siccitate fuerint conspicuae, pestis regnaverit; et causam his verbis adiicit: quod siccitas in corporibus Insulanorum, humido aëri assuetis, exasperet humores magisque ad putrefactionem inclinet et inflammationem.

non ita intelligendum est, aërem fervidum in corpora transiisse eaque calefecisse, quemadmodum corpora, quae sensu privata sunt et motu, solis fervore tepefieri videmus; calorem potius corporum aegrorum putridum, ad quem provocandum aëris fervores praeter reliquas causas multum contulerunt, hic accipiendum esse, perspicuum est.

Quae quidem causae in genere sunt, unde morbus pestilens ortum duxit. Iam quaedam singulatim veniunt considerandae. Rustici in urbem confluxerunt suasque res in eam comportarunt,[a] ut se tuerentur et opes, quae nondum in hostium potestatem venerant; quod quidem Pericle suadente factum esse, antea monuimus. Cum aedes deficerent, tecta angusta squaloreque plena, ad quae aëri nullus fere patuerit aditus, habitanda ipsis fuisse, praeter *Thucydidem*[b] *Plutarchus*[c] et *Diodorus Siculus*[d] testantur. Qui vel iis caruerunt, tabernacula incoluerunt, quae in viis sibi posuerant atque in templis. Rustici igitur vivendi rationem ineuntes antecedenti contrariam, in morbum pestilentem necessario

---

a) v. Thuc. p. 78. ἐπίεσε δ' αὐτοὺς μᾶλλον — καὶ ἡ ξυγκομιδὴ ἐκ τῶν ἀγρῶν ἐς τὸ ἄστυ καὶ οὐχ ἧσσον τοὺς ἐπελθόντας. Conf. Lucr. v. 1250 et sqq.

b) v. Thuc. l. c. οἰκιῶν γὰρ οὐχ ὑπαρχουσῶν, ἀλλ' ἐν καλύβαις πνιγηραῖς ὥρᾳ ἔτους διαιτομένων etc. Lucr. v. 1260 et sqq.

Omnia complebant loca tectaque, quo magis aestu
Confectos ita acervatim mors adcumulabat.

c) v. Plut. *in vit. Per.* p. 172. ὡς τὴν μὲν νόσον ἡ τοῦ χωριτικοῦ πλήθους εἰς τὸ ἄστυ συμφόρησις ἐργάζεται, θέρους ὥρᾳ πολλῶν ὁμοῦ χύδην ἐν οἰκήμασι μικροῖς καὶ σκηνώμασι πνιγηροῖς ἠναγκασμένων διαιτᾶσθαι δίαιταν οἰκουρὸν καὶ ἀργὸν ἀντὶ καθαρᾶς καὶ ἀναπεπταμένης τῆς πρότερον.

d) v. Diod. Sic. l. c. πολλοῦ γὰρ πλήθους καὶ παντοδαποῦ συνεῤῥυηκότος εἰς τὴν πόλιν διὰ τὴν στενοχωρίαν εὐλόγως εἰς νόσους ἔπιπτον, ἕλκοντες ἀέρα διεφθαρμένον. Quare in Oribas. Med. Sophist. *Praecept diaet.* Ed. Grun. p. 15. praeceptum extat quod sequitur:

Κατοικίας ἔκκλινε δυσωδεστέρας,
Ἀεὶ δὲ καὶ μάλιστα καύματος χρόνῳ.

inciderunt; quod praeter *Plutarchum* [a]) et *Paulus Aegineta* comprobat, qui molestias modum excedentes et labores, cui consuevimus, intermissos talium morborum causas accusat. [b]) Ut morbus praeterea latius diffunderetur, multum fecerunt mortuorum cadavera, quae insepulta huc et illuc iacuerunt. [c]) Magni denique momenti in malo vel provocando vel adaugendo fuerunt omnium animi curis vexati et anxietate; quantam enim eae habeant vim, Socratis exemplum, morbum pestilentem non experti, docet. Quae cum ita sese haberent, morbum in urbe exoriri pestilentem necesse erat, omnibus causis, quas vel occasio affert, vel quae in hominum corporibus latent, ad eum gignendum conspirantibus.

CAP. III.

Descriptio febris pestilentis.

Morbum nominavi pestem, quod scriptores graeci atque latini, qui de eo retulerunt, hoc nomine eum insigniunt; quare non est, cur moneam, hic pestem neque orientalem, neque occidentalem intelligendam esse, quas κατ᾽ ἐξοχὴν pestes vocamus, quanquam in iis multa deprehendantur, in quibus Atheniensium pestis cum illis convenit. Morbum fuisse popularem, id prae ceteris docet, quod illo tempore alii morbi non regnaverint; si qui vero exorti sunt, in epidemicum se converterunt, qui in suam eos redegit ditionem. [d])

---

a) Vid. locum, qnem modo laudavi.

b) v. Pavl. Aegin. p. 44. ταλαιπωρίαι τε ἄμετροι καὶ πόνοι συνήθεις ἐκλειφθέντες.

c) v. Amm. Marcell. l. c. Aetius quoque (v. p. 91.) mortuorum multitudinem, quam in bellis videre liceat, aëris corrupti et putridi morborumque inde oriundorum causam esse, testatus est. Indolis peioris aërem esse, peste defunctorum corporibus in putredinem abeuntibus, quisque videt.

d) v. Thvc. p. 72. τὸ μὲν γὰρ ἔτος, ὡς ὡμολογεῖτο, ἐκ πάντων μάλιστα δὴ

Naturam malum induisse contagiosam, ex historia morbi et causis patet. Sunt quoque loca *Thucydidis* singula, quae idem comprobant. Ita memoriae mandat, morbo bis eundem non correptum esse; a) quod in aliis quoque morbis a contagio pendentibus animadvertimus, quanquam adsint exempla, hominem eidem malo contagioso bis vel pluries fuisse obnoxium. Alterum deinde ex alterius curatione contagium hausisse dicit, adeo ut homines tanquam pecudes interirent; b) et adiicit: hanc fuisse praecipuam stragis causam; si enim metu deterriti se invisere noluerunt, deserti interierunt, et ita propter hominum inopiam, qui aegrotos curarent, multae exhaustae sunt familiae; si vero se invicem adierunt, pariter mortem obierunt: quod praeprimis in eos cecidit, qui opis ferendae causa in amicorum aedes ingressi sunt, ne officia humanitatis violasse amicitiamque deseruisse viderentur. c) Quae plane cum iis consentiunt, quae alio in loco auctor noster commemorat: nullam enim aegrotorum curam, ut servarentur, valuisse; alios incuria mortuos esse, alios vel diligentissime curatos. Naturam mali contagiosam inprimis quae sequuntur, probant. Agnon et Cleopompus, Periclis in praetura collegae (*ξυστράτηγοι*), Chalcidensibus et Potidaeae, quae iam obsidione tenebatur, bel-

---

ἐκεῖνο ἄνοσον, ἐς τὰς ἄλλας ἀσθενείας ἐτύγχανεν ὄν. εἰ δέ τις προέκαμνέ τι, ἐς τοῦτο πάντα ἀπεκρίθη.

et p. 76. *καὶ ἄλλο* (sc. *νόσημα*) *παρελύπει κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον οὐδὲν τῶν εἰωθότων· ὃ δὲ καὶ γένοιτο, ἐς τοῦτο ἐτελεύτα.* Conf. Pavl. Aegin. p. 44. *πανδήμους καὶ κοινὰς νόσους τὰς πολλοῖς ἅμα συμπιπτούσας ὀνομάζουσιν, ὧν ὥσπερ ἡ γένεσις, οὕτω καὶ ἡ αἰτία κοινή.* Aet. Amid. Lib. V. 95. p. 91. Amm. Marcell. Lib. XIX. c. 4 versus finem.

a) v. Thvc. p. 78. *δὶς γὰρ τὸν αὐτὸν, ὥστε καὶ κτείνειν, οὐκ ἐπελάμβανε.*

b) v. Thvc. p. 77. *ὅτι ἕτερος ἀφ᾽ ἑτέρου, θεραπείας ἀναπιμπλάμενοι, ὥσπερ τὰ πρόβατα, ἔθνησκον.* Conf. Plvt. in *vit. Per.* l. c.

c) v. Thvc. l. c. *εἴτε προσίοιεν, διεφθείροντο· καὶ μάλιστα οἱ ἀρετῆς τι μεταποιούμενοι.*

lum intulerunt. Sed neque urbis expugnatio, neque aliud quidpiam ipsis successit; morbus enim Atheniensibus superveniens tam graviter eos afflixit, ut priores quoque milites, qui bene antea valuerant, ex copiarum contagio, quas Agnon adduxerat, in morbum inciderent et ita perirent. [a])

In morbi descriptione ita versaturus sum, ut meram proponam eius historiam, et longiores tantum singulorum symptomatum explicationes admittam, quantum ad obscuriora dilucidanda necessarium videtur; nemo igitur expositiones mali nosologicas expectet, quas aliis lubenter relinquo. Ceterum *Thucydidem* et *Lucretium*, uti iam monui, plane secutus sum, quos semper quoque laudavi, ut quisque videret, me fidem observasse historicam. [b]) Omnium optime vero *Thucydides* de morbo scribere potuit, cum ipse peste fuerit correptus et alios ea laborantes viderit. [c])

Morbus in singulis corporis partibus occupandis ordinem quendam servavit, ita ut a vertice inciperet et ad calcem usque descenderet. [d]) Inter gravissima eius signa, quae ab initio in aegrotis animadvertere licuit, illud referendum erat, quod unusquisque, simulac se malo correptum sentiret, statim abiecto esset animo atque demisso, et de salute recuperanda plane desperaret. [e])

---

a) v. Thvc. p. 86. *ὥστε καὶ τοὺς προτέρους στρατιώτας νοσῆσαι τῶν Ἀθηναίων ἀπὸ τῆς ξὺν Ἄγνωνι στρατιᾶς, ἐν τῷ προ τοῦ χρόνῳ ὑγιαίνοντας.*

b) Brevem morbi adumbrationem quisque inveniet apud Barthélémy *in Vayage du ieune Anacharsis* T. I. p. 306 et sqq.

c) v. Thvc. p. 72. *ἐγὼ δὲ οἷόν τε ἐγίγνετο — δηλώσω, αὐτός τε νοσήσας, καὶ αὐτὸς ἰδὼν ἄλλους πάσχοντας.*

d) v. Thvc. p. 74. *διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἄνωθεν ἀρξάμενον τὸ ἐν τῇ κεφαλῇ πρῶτον ἱδρυθὲν κακόν.*

e) v. Thvc. p. 77. *δεινότατον — ἥτε ἀθυμία, ὁπότε τὶς αἴσθοιτο κάμνων* etc Lvcr. v. 1228 et sqq. ita expressit:

Primum vehementes caput occupant calores, et oculi inflammatione tentantur. [a]) Quam oculorum inflammationem fuisse gravissimam, exitus eius praeprimis docet; in nonnullis nimirum, qui morbum feliciter superaverant, plena visus abolitio hanc ophthalmiam secuta est. [b]) Fauces et lingua cruentae sunt, [c]) aegri linguam asperam vix ore movere possunt, ita ut loquela intercepta sit; [d]) *Lucretius* addit, dictas partes ulceribus fuisse obsitas, quorum Thucydides nullam facit mentionem. [e]) Aegri halitum emittunt tetrum, graveolentem et cadaveris odorem spirantem. [f]) Accedunt sternutatio vocisque raucitas, et pectore in mali societatem vocato, tussis vehemens aegrotos divexat. [g]) Si morbi vis ad ventriculum sese convertit, bilis eiectiones, ingenti stipatae cruciatu, exoriun-

---

Illud in his rebus miserandum et magnopere unum
Aerumnabile erat, quod, ubi se quisque videbat
Implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
Deficiens animo, moesto cum corde iacebat.

Tales animi in morbis abiectiones bene quoque *Hippocrates* observavit; vid. Hipp. *de morb. vulg.* Lib. V. Sect. VII. p. 1160. B. καὶ πρότερον ἐνέπιπτον ἀθυμίαι καὶ ἀπαλλαγῆς βίου ἐπιθυμίη. Conf. *de morb. vulgar.* Lib. VII. Sect. VII. p. 1233. H.

a) v. Thvc. p. 72. Lvcr. v. 1143. et sqq.

b) v. Thvc. p. 75. Lvcr. v. 1209.

c) v. Thvc. p. 73. καὶ τὰ ἐντὸς, ἥτε φάρυγξ καὶ ἡ γλῶσσα, εὐθὺς αἱματώδη ἦν. Quid voce „φάρυγγος" subintelligendum sit, vid. Galen. *de loc. aff.* Lib. IV. p. 288. 2. φάρυγγα ὀνομάζω τὴν ἔνδον τοῦ στόματος χώραν, εἰς ἣν ἀνήκει τότε τοῦ στομάχου καὶ τὸ τοῦ λάρυγγος πέρας.

d) Quo modo *Lucretius* illum *Thucydidis* locum expresserit, vid. v. 1145 et sqq.

e) v. Lvcr. v. 1146. *Vlceribus vocis via septa coibat* Conf. Aët. p. 91. ubi inter pestis symptomata enumerantur πονηρὰ ἕλκη ἐν παρισθμίοις.

f) v. Thvc. p. 73. καὶ πνεῦμα ἄτοπον καὶ δυσῶδες ἠφίει. Lvcr. v. 1152. et sqq.
Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,
Rancida quo perolent proiecta cadavera ritu.

g) v. Thvc. l. c. ἔπειτα — πταρμὸς καὶ βράγχος ἐπεγίγνετο· καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ. Verbum „πόνος" Graecis significat laborem et dolorem — vid. Cic. *Tuscul.* II. c. 14. ubi Graecos irridet quasi verborum inopia laborantes. Habet *Schol.* ad hunc locum: πόνον λέγει τὴν ἐκ τοῦ νοσήματος ταλαιπωρίαν. Lvcr. v. 1187.

tur. [a]) Plerosque singultus tentant inanes, qui convulsiones adducunt vehementes et modo brevi cessant, modo longius perdurant. [b]) Superficies corporis neque admodum calida, neque pallida, sed subrubra est, livida, pustulis et ulceribus obtecta. [c]) Quo magis vero cutis collapsa et tepida visa est, eo intensius interiora calent et dolent, ut ne minimum quidem attactum aegroti ferant, nec ullum corpori imponi stragulum seu vestimentum vel tenuissimum patiantur; quare nihil magis

---

a) v. THVC. l. c. ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι (sc. ὁ πόνος) ἀνέστρεφέ τε αὐτὴν, καὶ ἀποκαθάρσεις χολῆς — ἐπήεσαν, καὶ αὗται μετὰ ταλαιπωρίας μεγάλης. Quid *καρδία* sit, exponit *Schol.* οἱ παλαιοὶ ἰατροὶ τὸν στόμαχον καρδίαν ἐκάλουν, καὶ καρδιωγμὸν τὸν πόνον τοῦ στομάχου. Conf. GALEN. *in Hipp. Progn.* Comm. III. p. 162. ubi hunc Thucydidis locum affert et interpretatur: τὸ ἀνέστρεφεν ἐπὶ τῆς πρὸς ἔμετον ὁρμῆς εἶπε (sc. ὁ *Θουκυδίδης*) i. e. illud ἀνέστρ. de impetu ad vomitum dixit. Conf. AËT. l. c. ubi commemorantur χολῆς ἔμετοι. LVCR. v. 1150. ita vertit locum:

Morbida vis in cor moestum confluxerat aegris.

PETR. VICTOR. *Var. Lect.* Lib. XXVIII. c. 17. *Lucretium* reprehendit, quod καρδίαν per „cor“ verterit; sed *Thucydidem Lucretius* imitatus est.

b) v. THVC. l. c. λύγξ τε πλείοσιν ἐνέπιπτε κενὴ etc. Quem locum ita *Lucretius* exposuit v. 1158.

Singultusque frequens noctem persaepe diemque
Corripere assidue nervos etc.

Voluit *Lambinus*, auctoritate *Lucretii* ductus, loco „κενὴ“ ponere πυκνὴ (frequens); sed secundum *Hippocratem* singultus vel plenus vel inanis est i. e. quo humores vomitu aut reiiciuntur, aut non reiiciuntur. Vid. HIPP. *Aphor.* Lib. VI. Sect. VII. 39. p. 1257. σπασμοὶ γίνονται ἢ ἀπὸ πληρώσιος ἢ κενώσιος, οὕτω δὲ καὶ λυγμός. Quare *Schol.* ad hunc locum dicit: ἔστι γὰρ καὶ λύγξ πλήρης, ὡς καὶ Ἱπποκράτης διδάσκει. Conf. GALEN. *in Hipp. Libr. de rat. vict. in morb. ac.* Comm. IV. p. 105. 54. τὰς λύγγας εἰώθασι καὶ λυγγοὺς ὀνομάζειν· εἰσὶ δὲ κινήσεις τινὲς τοῦ στομάχου σπασμώδεις· γίγνεσθαι δὲ φασὶ δι' ἄμετρον κένωσιν ἢ πλήρωσιν.

c) v. THVC. l. c. σῶμα ἦν — ὑπέρυθρον, πελιδνὸν, φλυκταίναις μικραῖς καὶ ἕλκεσιν ἐξηνθηκός. *Schol.* ad vocem „πελιδνὸν“ dicit: ἔστι τὸ μετέχον ὠχρότητος καὶ μελανίας, οἱονεὶ μολυβδοειδές. Conf. HESYCH. sub voce „πελιδνός“ et GALEN. *in Hipp. Libr. de fract.* Comm. II. p. 548. 41. Veteribus ἕλκος fere idem fuisse ac nobis, docet locus apud GALEN. *de diff. morbor.* Lib. I. p. 204. 24. ἕλκος — ἡ τῆς συνεχείας λύσις κατὰ τὰ σαρκώδη πάντα i. e. solutio continui in omni carne. *Aëtius* ulcera quoque commemorat maligna, quae in peste laborantibus exoriri solent, ut supra ex parte vidimus — vid. *eum* l. c. καὶ ἄλλα δὲ πονηρὰ ἕλκη καὶ ἀνθρακώδη καὶ πάνδεινα γένοιτ' ἂν ἐν λοιμῷ κατά τε τὸ ἄλλο σῶμα, καὶ ἐν προσώπῳ etc.

exoptant, quam corpore decumbere nudo. [a]) Ob magnum corporis aestum internum multi sese in aquas dant praecipites, ut fervores nimios temperent; et qui aegrotorum incuriosius habentur, in puteos se deiiciunt. [b]) Tanta enim miseros discruciat sitis, ut nullis compesci possit remediis et largior potus perinde sit ac parcior. [c]) Aegrotis, cum fervores interni et ingentes anxietates eos exerceant, nulla conceditur quies perpetuaeque eos vexant vigiliae.[d]) Addit *Thucydides*, mirum esse visum, quod corpus morbo vigente non languuisset, et tantis cruciatibus tam fortiter restitisset; quo quidem dicto haud dubie mali vehementiam inauditam atrocitatemque significare vult. [e])

---

a) v. Thuc. l. c. *τὰ δ' ἐντὸς οὕτως ἐκαίετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μήτ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνεχέσθαι* — Lucr. v. 1166 et sqq. Conf. Ovid. *Metam.* Lib. VII. ubi a v. 523. pestis descriptio extat, v. 558.

Non stratum, non ulla pati velamina possunt.

Quam intime calores interni et frigora externa, praesertim partium extremarum, inter se cohaereant, infra videbimus.

b) v. Thuc. p. 74. *ἥδιστά τε ἂν ἐς ὕδωρ ψυχρὸν σφᾶς αὐτοὺς ῥίπτειν· καὶ πολλοὶ τοῦτο τῶν ἠμελημένων καὶ ἔδρασαν ἐς φρέατα, ἀπαύστῳ τῇ δίψῃ ξυνεχόμενοι.* Conf. Diod. Sic. *Bibl. hist.* p. 517. *οἱ πλεῖστοι τῶν νοσούντων ἔῤῥιπτον ἑαυτοὺς εἰς τὰ φρέατα καὶ τὰς κρήνας, ἐπιθυμοῦντες αὐτῶν καταψῦξαι τὰ σώματα.* Liceat mihi *Lucretii* versus (1170 et sqq.) hic addere:

In fluvios partim gelidos ardentia morbo
Membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.
Multi praecipites lymphis putealibus alte
Inciderunt, ipso venientes ore patente.

Si quis *Ovidium* audire cupiat, poëtam in describendo copiosissimum nec non venustum, ipsum videat l. c. v. 568 et sqq.

c) v. Thuc. l. c. *καὶ ἐν τῷ ὁμοίῳ καθειστήκει τό τε πλέον καὶ ἔλασσον ποτόν.* Conf. Lucr. v. 1174 et sq.

d) v. Thuc. l. c. *καὶ ἡ ἀπορία τοῦ μὴ ἡσυχάζειν καὶ ἡ ἀγρυπνία ἐπέκειτο διαπάντος.* Lucr. v. 1776 et sqq.

Nec requies erat ulla mali, defessa iacebant Corpora —
Quippe patentia quom totas ardentia nocteis
Lumina versarent, oculorum expertia somno.

e) v. Thuc. l. c. Addendum est, quod de *Lucretii* descriptione pestis plura extent in Macrob. *Saturn.* Lib. VI. c. 2. quo in loco auctor evincere conatur, *Virgilium* in peste describenda *Lucretium* secutum esse. Pestem, qua pecudes correptae sunt, *Virgilius* descripsit *Georg.* III. v. 440 et sqq.

Quae quidem esset nuda febris pestilentis historia. *Lucretius* nonnulla subiungit, quae maxima ex parte ex *Hippocratis Prorrheticis* sumta sunt et signa partim comprehendunt, quae faciem sic dictam Hippocraticam constituunt. [a]) Ne quid desideraretur, haec attuli.

Aegroti, iam in limine mortis constituti, vultu truci decumbunt; [b]) murmura edunt obscura auresque habent tinnientes; [c]) spiritus ducunt aut crebros ac vehementes, aut raros et magnos; [d]) sudores manant de collo; [e]) sputa sunt tenuia, minuta, crocique colorem referunt; [f]) artus contremiscunt; [g]) partes corporis extremae, praecipue pedes, frigore tentantur; [h]) cutis est frigida et dura; [i]) nares sunt compressae et acuminatae, oculi cavi, tempora contracta, cutis in fronte rigida et tenta, os apertum. [k])

---

a) v. LVCRET. a v. 1180. usque ad v. 1194.

b) Conf. HIPP. *Coac. Praen.* Sect. II. p. 152. *Προσώπου — σκυθρωπότης ἐν ἰξεῖ, κακόν.*

c) Conf. HIPP. l. c. p. 149. *Βόμβος ἐν ὀξέσι, καὶ ἦχος ἐν ὠσὶ, θανάσιμον.*

d) Conf. HIPP. l. c. p. 159. *Πνεῦμα πυκνὸν μὲν ἐὸν καὶ σμικρὸν, φλεγμονὴν καὶ πόνον ἐν τοῖσι καιρίοισι τόποισι σημαίνει· μέγα δὲ καὶ διὰ πολλοῦ* (sc. *ἀναπνεόμενον*) *παραφροσύνην ἢ σπασμὸν δηλοῖ* — vid. GALEN. *de dyspn.* Lib. I. p. 171. 54.

e) Conf. HIPP. *de Iudic.* Sect. 11. p. 54. *τῶν ἱδρώτων κάκιστοι εἰσὶν οἱ ψυχροί τε, καὶ περὶ τὴν αὐχένα γενόμενοι, οὗτοι γὰρ θανάτους καὶ μῆκος νούσων προσημαίνουσιν.* Simile quid habet AËT. Lib. V. p. 78. *ταραχώδεις δὲ ἱδρῶτες — ἀνώμαλοι καὶ μὴ περὶ πᾶν τὸ σῶμα.*

f) Conf. HIPP. *Praen.* Sect. II. p. 41. *πτύελον ξανθὸν ἐὸν, ἢ πυῤῥὸν, ἢ πολλὴν βῆχα παρέχον, καὶ μὴ ἰσχυρῶς συμμεμιγμένον, κάκιον γίνεται.*

g) Conf. HIPP. *Coac. Praen.* p. 131. *τὰ ἐν φρενιτικοῖσι νεανικῶς τρομώδεα, θανάσιμα.*

h) Conf. HIPP. *Aphor.* Lib. VI. Sect. VII. I. p. 1258. *ἐν τοῖσιν ὀξέσιν νοσήμασι, ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.* *Aphor.* 74. p. 1261. *Coac. Praen* p. 196. *κεφαλὴν καὶ πόδας καὶ χεῖρας κατεψύχθαι, κοιλίης καὶ πλευρῶν θερμῶν ἐόντων, κακόν.* Conf. GALEN. in *Hipp. Aphor.* Comm. VII. p. 315. 56. et *in Hipp. Lib. de vict. rat. in morb. ac.* Comm. II. p. 66. 33. AËT. Lib. V. 95. inter pestis signa enumerat *ψύξεις ἀκρωτηρίων* et Lib. V. 4. p. 78. ad *φαῦλα σημεῖα* refert *καῦμα τῶν ἐντὸς, τῶν ἔξω ψυχρῶν τυγχανόντων.*

i) Conf. HIPP. *Praed.* Lib. I. Sect. II. p. 73. *κατάψυξις μετὰ σκληρυσμοῦ, σημεῖον ὀλέθριον,* et *Coac. Praen.* p. 118.

k) Conf. HIPP. *Coac. Praen.* p. 152. *Προσώπου διαφθορὴ, θανάσιμον.* Quid

Quantae fuerint Athenis turbae, morbus cum grassaretur, ex allatis satis superque elucescit. Mortui, moribundi et aegri sine ullo ordine huc et illuc prostrati sunt.[a] Magnam aegrotorum vim, iam in agone versantium, in viis conspicere licuit, praesertim circa fontes, ad quos miseri, siti discruciati inexplebili, corpus traxerant;[b] immo deorum templa corporibus mortuorum referta fuerunt.[c]

Animalia, cum alites, tum quadrupedes, morbum haud secus ac homines infestavisse, *Thucydides* memoriae prodit; quotquot enim eorum cadaveribus humanis vesci solebant, non accesserunt, quanquam multa iacerent insepulta; et quae eorum gustaverunt, morbo absumta sunt.[d] Soli canes ob

---

hoc sit, vide praeter locum allatum Hipp. *Praen.* Sect. II. p. 36. ubi sequentia leguntur: *ῥὶς ὀξεῖα, ὀφθαλμοὶ κοῖλοι, κρόταφοι ξυμπεπτωκότες, ὦτα ψυχρὰ καὶ ξυνεσταλμένα — καὶ τὸ δέρμα τὸ περὶ τὸ μέτωπον σκληρόν τε καὶ περιτεταμένον καὶ καρφαλέον ἐόν· καὶ τὸ χρῶμα τοῦ ξύμπαντος προσώπου χλωρόν τε καὶ μέλαν ἐὸν καὶ πελιὸν ἢ μαλυβδῶδες.* Vltimum adscripsi faciei Hippocraticae signum, quanquam eius *Lucretius* non meminerit, ut totam eius imaginem ante oculos ponerem.

a) v. Thuc. p. 78. *καὶ νεκροὶ ἐπ᾽ ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο,* Lucr. v. 1254 et sqq. ubi hunc Thucydidis locum more poëtarum exornavit, uti saepius iamiam vidimus.

b) v. Thuc. l. c. *καὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκαλινδοῦντο, καὶ περὶ τὰς κρήνας ἁπάσας, ἡμιθνῆτες, τῇ τοῦ ὕδατος ἐπιθυμίᾳ* — Lucretii versus (1262 et sqq.) sunt:

Multa siti prostrata viam per proque voluta
Corpora silanos ad aquarum structa iacebant,
Interclusa anima, nimia ab dulcedine aquai.
Multaque per populi passim loca promta viasque
Languida semianimo cum corpore membra videres.

c) v. Thuc. p. 79. *τά τε ἱερὰ, ἐν οἷς ἐσκήνηντο, νεκρῶν πλέα ἦν, αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων* etc. Quem quidem locum ita *Lucretius* a v. 1170. expressit:

Omnia denique sancta deum delubra replerat
Corporibus mors exanimis, onerataque passim
Cuncta cadaveribus Coelestum templa manebant.

d) v. Thuc. p. 75. *τὰ γὰρ ὄρνεα καὶ τετράποδα, ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται — ἢ οὐ προσῄει, ἢ γευσάμενοι διεφθείρετο.* Lucr. a v. 1212. et v. 1217 et sqq.

Nec tamen omnino temere illis solibus ulla
Comparebat avis, nec noctibus saecla ferarum
Exibant sylvis: languebant pleráque morbo
Et moriebantur..

Conf. Aët. p. 91. ubi haec loca optime illustrantur. Sermo nimirum est, quo

consuetudinem, quam cum hominibus habent, communi omnium cladi inprimis obnoxii visi sunt; quare mortuos eos per urbis vias dispersos videre licuit.[a)]

CAP. IV.

De vario, quem morbus habuit, exitu.

Plerique die morbi septimo aut nono fato cesserunt.[b)] Quanta hominum vis tunc temporis vita excesserit, praeter *Thucydidem Diodorus Siculus* memoriae mandavit. Prior affirmat, ex militibus legionariis quatuor millia et quadringentos, equites vero trecentos morbo periisse; reliquae turbae, quae morti occubuisset, numerum iniri non posse.[c)] In quo *Diodorus Siculus* ita recedit, ut peditum ultra quatuor millia, equites quadringentos, et ceterorum, sive fuerint li-

---

modo pestis praevideri possit, et dicit auctor: animum esse advertendum tempestatibus, quae brutis damnum inferant, ita pergens: *εἰ μὲν ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀὴρ αἴτιος γίγνοιτο τοῦ λοιμοῦ, τῶν πτηνῶν ὀρνίθων ἡ θνῆσις ἔσται πρότερον· εἰ δὲ ἐκ τῶν ἀπὸ τῆς γῆς μοχθηρῶν ἀναθυμιάσεων τοῦτο συμβαίη, τῶν τετραπόδων ζώων ἡ φθορὰ γίγνεται πρότερον.* Pavl. Aegin. Lib. II. p. 44. ubi legimus, attendendum esse *ζώοις ἄλλοις προαπολλυμένοις.* Vterque locus et *Aetii* et *Pauli* ex libris *Rufi de peste* sumtus est. *Homerus* iam cecinit, mulos et canes pestilentiam primnm invasisse; v. *Iliad.* v. 50.

οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο καὶ κύνας ἀργούς·

Conf. Plvt. *Symp.* IV. p. 662. Macrob. *Saturn.* Lib. VII. c. 5. Amm. Marcell. Lib. XIX. c. 4.

a) v. Thvc. p. 76. *οἱ δὲ κύνες μᾶλλον αἴσθησιν παρεῖχον τοῦ ἀποβαίνοντος, διὰ τὸ ξυνδιαιτᾶσθαι·* Conf. Lvcr. v. 1220 et sqq.

— quom primis fida canum vis
Strata viis animam ponebat in omnibus aegre.

et Ovid. l. c. 536.

b) v. Thvc. p. 74. *διεφθείροντο οἱ πλεῖσοι ἐνναταῖοι καὶ ἑβδομαῖοι ὑπὸ τοῦ ἐντὸς καύματος.* Conf. Lvcr. v. 1195 et sqq.

Octavoque fere candenti lumine solis,
Aut etiam nona reddebant lampade vitam.

c) v. Thvc. p. 298.

beri, sive servi, plus quam decem millia morbo consumta esse statuat.[a]

Qui hunc terminum superaverunt, ex debilitate plerumque moriuntur, quam exulceratio ventris vehemens et profluvium alvi immoderatum induxerant.[b] Addit *Lucretius*, multum sanguinis corrupti et foetidi naribus exiisse, quo aegrorum vires ita fuerint prostratae, ut brevi post diem obirent supremum.[c]

Qui mortem feliciter effugerant, vel ulceribus foedis in corporis superficie obortis, vel profluvio sanguinis atri accedente, eorum artus malum invasit.[d] Duplicis indolis fuisse videntur partium extremarum affectus. Et primum quidem

---

a) v. Diod. Sic. T. I. p. 517.

b) v. Thuc. p. 74. *εἰ διαφύγοιεν, ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν, καὶ ἑλκώσεώς τε αὐτῇ ἰσχυρᾶς ἐγγιγνομένης, καὶ διαῤῥοίας — πολλοὶ ὕστερον διὰ τὴν ἀσθένειαν διεφθείροντο.* Conf. Aët. p. 91. ubi in pestis symptomatibus etiam occurrunt *διαῤῥοιαι χολώδεις, λεπταὶ φυσώδεις.* Quid sit *ἕλκωσις τῆς κοιλίας*, vid. Pavl. Aegin. Lib. III. 42. p. 96. ubi legitur: *ἡ δυσεντερία ἕλκωσις ἐστὶν τῶν ἐντέρων·* Conf. Aët. *Tetrabl.* III. Serm. I. c. 43. Galen. *de loc. aff.* Lib. VI. p. 308. 19. Galen. *de caus. sympt.* Lib. V. p. 244. 39. Hipp. *de affect.* Sect. V. p. 522. 31. qui locus cum multum lucis afferat, transcribere eum mihi liceat: *δυσεντερίη ὅταν ἔχῃ, ὀδύνη ἔχει κατὰ πᾶσαν τὴν κοιλίην, καὶ στρόφος· καὶ διαχωρέει χολήν τε καὶ φλέγμα, καὶ αἷμα ξυγκεκαυμένον*; porro l. 43. *νοσέει μὲν τὸ αἷμα καὶ διαχωρέει ἐφθαρμένον, νοσέει δὲ καὶ τὸ ἔντερον, καὶ ξύεται καὶ ἑλκοῦται·* Vocem „*κοιλίας*“, qua auctor noster utitur, medicis significare vel ventriculum, vel ventrem inferiorem vel alvum, vid. Galen. *in Hipp. de vict. rat. in morb. ac.* Comm. IV. p. 114. 7. Quo modo *Lucretius Thucydidis* locum verterit, vid. v. 1197 et sqq.

a) v. Lucr. v. 1200 et sqq. Conf. Aët. l. c. ubi commemorantur *ἀπὸ ῥινῶν αἵματος στάξεις.*

b) v. Thuc. p. 75. *καὶ εἴ τις ἐκ τῶν μέγιστων περιγένοιτο, τῶν γε ἀκρωτηρίων ἀντίληψις αὐτοῦ ἐπεσήμαινε·* Conf. Lucr. v. 1203 et sqq.

Profluvium porro qui tetri sanguinis acre
Exierat, tamen in nervos huic morbus et artus
Ibat —

Constat inter omnes, *Hippocrati* et medicis, qui proxime eum secuti sunt, *τὸ νεῦρον, τὸν τόνον* et *τὸν συνδεσμὸν* fere eadem fuisse, et promiscue saepius vel hoc vel illo usos esse verbo; vid. Galen. *in Hipp. Epid.* Lib. VI. Comm. I. p. 443. 33. *ἔνιοι δὲ νεῦρα πάντα καλέσαντες δι᾽ ἣν εἶπον ὁμοιότητα* i. e. quidam nervos omnia vocantes ob eam, quam dixi, similitudinem; dixit nimirum paulo ante, haec tria in animalibus genera *σωμάτων ὁμοιομερῶν*, esse exsanguia

naturam malum induisse videtur paralyticam; cum saepius videamus, febres perniciosiores, ubi genus nervorum maxime afflictum est, in extremorum resolutione terminari. Alterum genus affectionis gangraena est et sphacelus, quibus partes extremae destructae sunt.[a] Sed ne genitalibus quidem morbus pepercit.[b] Alii visum perdiderunt.[c] Cuius generis haec fuerit coecitas, ex praecedentibus patet. Dictum est, morbum ab oculorum rubore et inflammatione initium cepisse; ophthalmiam vero graviorem internam saepius in bulbi destructione finiri, notissimum est. Vltima denique species malorum, febrem pestilentem insequentium, omnium rerum tanta fuit oblivio, ut aegroti neque se ipsos, neque necessarios agnoscerent.[d] Quod quidem docet, morbi vim gravissime in cerebrum egisse eiusque functioni demum noxam intulisse.

At fuerunt quoque, qui perfectam nanciscerentur sanitatem, in quorum corporibus igitur nihil relinqueretur, quod morbum adfuisse testaretur. Sic *Thucydides* plenam recuperavit sanitatem, quem, ut ipse testatus est, morbus invaserat.

(*ἄναιμα*) et cavitatis expertia (*ἀκοίλα*) Conf. Sprengel *Gesch.* T. I. p. 394. Aristoteles nervos primus detexit, quos *πορούς τοῦ ἐγκεφάλου* nominavit, non *νεῦρα*, cum cavos esse arbitraretur. v. *Hist. anim.* Lib. III. c. 5.

a) v. Thuc. p. 75 et Lucr. v. 1208. Lucretii locus verbis Thucydidis obscurioribus lucem affundit; qua de re infra videbimus. Pedum summitates peste destrui, dicit Galen. *de usu part. corp. hum.* Lib. III. p. 395. *ὁ μὲν γὰρ λοιμὸς ἀπέσηπεν ἄκρους τοὺς πόδας.*

b) v. Thuc. l. c. *κατέσκηπτε καὶ ἐς τὰ αἰδοῖα.*

c) v. Thuc. l. c. *εἰσὶ δ' οἳ καὶ τῶν ὀφθαλμῶν* (sc. *στερισκόμενοι*) Lucr. v. 1209.
—— *et perdebant lumina partim*

d) v. Thuc. l. c. *τοὺς δὲ καὶ λήθη ἐλάμβανε — τῶν πάντων ὁμοίως, καὶ ἠγνόησαν σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τοὺς ἐπιτηδείους.* Lucr. v. 1210 et sqq. Conf. Aët. Lib. VI. 23. p. 106. *περὶ μνήμης ἀπολωλυίας* ex Rufo et Galeno: *καὶ τοῦτο γίνεται ἢ ἐκ λοιμοῦ· ὥσπερ οὖν καὶ συνέπεσε τῷ γενομένῳ ἐν Ἀθήναις λοιμῷ.* De memoria morbis deleta vid. Hipp. *Praed.* Lib. I. Sect. II. p. 72. *κακὸν δὲ καὶ λήθη* — et *Coac. Praen.* p. 118. Galen. *in Hipp. Prorrh.* Comm. II. p. 190. hunc locum ita interpretatur: *το μη γνωρίζειν τοὺς συνήθεις καὶ το μη μεμνῆσθαι τῶν πεπραγμένων.*

Fuisse praeterea, quos morbus intactos reliquerit, Socrat. exemplum docet, qua de re infra dicturus sum.

CAP. V.

Quam vim in moribus hominum animisque pervertendis morbus pestilens habuerit?

Leges omnes de mortuis humandis a maioribus conditas quisque tum temporis migravit suosque sepelivit, utut potuit. [a]) Multi, qui suorum iam plures morte amiserant rerumque angustiis premebantur, impudentius iusta fecerunt, et corpus defuncti alienis imponentes rogis, non curarunt, alterius cadaver iamiam in iis cremari. [b]) Multi exequiis quoque spoliati sunt, cum non essent, qui funera ducerent, familiis integris morbo absumtis; quare saepius nec filius funeri paterno iusta solvit, nec pater funus filii prosecutus est.

Quo modo in animos hominum haec rerum funesta conditio egerit, *Thucydides* egregie ante oculos ponit. Cum viderent, nihil sibi in his rerum mutationibus constare; divites aeque emori ac pauperes; fortunas in illos transferri, qui

a) v. Thuc. p. 79. *νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν, οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς.* Conf. Lucr. v. 1276 et sqq.

Nec mos ille sepulturae remanebat in urbe,
Quo pius hic populus semper consuerat humari.

et Ovid. l. c. v. 606.

Corpora missa neci nullis de more feruntur
Funeribus —

b) v. Thuc. l. c. *καὶ πολλοὶ ἐς ἀναισχύντους θήκας ἐτράποντο, σπάνει τῶν ἐπιτηδείων, διὰ τὸ συχνοὺς ἤδη προτεθνάναι σφίσιν.* Conf. Lucr. v. 1281 et sqq.

Namque suos consanguineos aliena rogorum
Insuper exstructa ingenti clamore locabant
Subdebantque faceis —

et Ovid. l. c. v. 610 et sqq.

paupertate oppressi fuerunt, et opibus privari, qui antea iis abundarunt; vivendi rationem fere omnes secuti sunt ex more Epicureorum, bonis nimirum perfruendum esse, quamdiu hac vita utantur, omnibusque indulgendum voluptatibus. [a]) Nec quisquam fuit, qui rei honestae causa susciperet labores, ignorans, num ante diem supremum, qui quavis hora ipsi expectandus erat, fine potiretur, nec ne; [b]) totus contra in iis occupatus erat, unde speravit fore ut vel utilitatem percipiat vel voluptatem.

Deorum quoque cultum, cum sacra profanis mista essent, quisque neglexit, nec ullus legibus se obstrictum putavit. Deos enim colere perinde iudicaverunt ac non colere, morte nemini parcente, sive sit bonus, sive malus. [c]) Legibus vero non obtemperandum esse duxerunt, cum neminem tamdiu in vita permansurum esse censerent, ut delictorum poenas quondam daturus sit; contra multo maiora et graviora ipsis impendere existimarunt, quare iam operam voluptatibus dandum sit, antequam illa eveniant [d])

---

a) v. Thuc. l. c. ῥᾷον γὰρ ἐτόλμα τὶς, ἃ πρότερον ἀπεκρύπτετο, μὴ καθ' ἡδονὴν ποιεῖν, ἀγχίστροφον τὴν μεταβολὴν ὁρῶντες τῶν τ' εὐδαιμόνων καὶ αἰφνιδίως θνησκόντων, καὶ τῶν οὐδὲν πρότερον κεκτημένων, εὐθὺς δὲ τἀκείνων ἐχόντων.

b) v. Thuc. p. 80. καὶ τὸ μὲν προσταλαιπωρεῖν τῷ δόξαντι καλῷ, οὐδεὶς πρόθυμος ἦν, ἄδηλον νομίζων, εἰ πρὶν ἐπ' αὐτὸ ἐλθεῖν, διαφθαρήσεται.

c) v. Thuc. l. c. θεῶν δὲ φόβος, ἢ ἀνθρώπων νόμος οὐδεὶς ἀπεῖργε — κρινόντες ἐν ὁμοίῳ καὶ σέβειν καὶ μὴ, ἐκ τοῦ πάντας ὁρᾷν ἐν ἴσῳ ἀπολλυμένους.

d) v. Thuc. l. c. πολὺ δὲ μείζω τὴν ἤδη κατεψηφισμένην (sc. τὴν τιμωρίαν) σφῶν ἐπικρεμασθῆναι, ἣν πρὶν ἐμπεσεῖν, εἰκὸς εἶναι τοῦ βίου τι ἀπολαῦσαι.

CAP. VI.

De morte Periclis et de Socrate, quem morbus pestilens non tetigerat.

Inter maximas iacturas, quas Athenienses illo tempore fecerunt, Periclis mors profecto referenda est. Pericles, qui domi militiaeque neminem habuit superiorem, filios duos, Xanthippum et Paralum, quos ex uxore habuit legitima, peste amiserat. Sunt, qui fortiter ipsum filiorum mortem tulisse dicant; sunt vero etiam, qui fractum animo domi latuisse contendant. [a]) Pericles ipse anno belli peloponnesiaci tertio vita decessit [b]) (Olymp. LXXXVII. 3. a. Chr. 429). Non febri pestilenti, sed diuturno potius eum consumtum esse malo, *Plutarchus* testatur. [c]) *Aelianus* narrat, Periclem voluptati-

---

a) v. AELIAN. *Var. Hist.* Lib. IX. c. 6. *ὅτι Περικλῆς ἐν τῷ λοιμῷ τοὺς παῖδας ἀποβαλὼν ἀνδρειότατα τὸν θάνατον αὐτῶν ἤνεγκε, καὶ πάντας Ἀθηναίους εὐθυμότερον ἔπεισε τοὺς τῶν φιλτάτων θανάτους φέρειν.* Conf. VALER. MAX. *Fact. dict. mem.* Lib. V. c. 10. PLVT. *in Consol. ad Apollon.* T. I. p. 465. (Ed. Wytt.) ubi tamen Protagoram, Periclis amicum, disserentem inducit. PLVT. *in vit. Per.* p. 172. narrat, Periclem retinuisse primum animi aequabilitatem, filio minori natu superstite; cum vero et hunc dira mors ipsi eripuisset, valde afflictum a rep. administranda per aliquod tempus eum abstinuisse. De morte filiorum Periclis vid. quoque MACROB. *Saturn.* Lib. I. c. 1.

b) v. ATHEN. *Dipnosoph.* Lib. V. c. 18. *Περικλῆς δ᾽ ἀποθνήσκει κατὰ τὸ τριτὸν ἔτος τοῦ πελοποννησιακοῦ πολέμου.*

c) v. PLVT. *in vit. Per.* p. 173. *τότε δὲ τοῦ Περικλέους ἔοικεν ὁ λοιμὸς λαβέσθαι λαβὴν οὐκ ὀξεῖαν ἄλλων, οὐδὲ σύντονον, ἀλλ᾽ ἀβληχρᾷ τινὶ νόσῳ — καὶ ὑπερείπουσαν τὸ φρόνημα τῆς ψυχῆς.* — Quo in loco labe diuturna Pericli vim mentis obtusam esse auctor dicit. Et quanquam morbis diuturnis saepius vires animi debilitantur, et Pericli simile quid accidisse videtur; tamen dictum eius praeclarum, quod brevi ante abitum elocutus est, testatur, et ingenio eum valuisse et animo. Cum nimirum Pericles in eo esset, ut animam efflaret, et adstantes amici de rebus bene ab ipso gestis colloquerentur ipsumque collaudarent, dixit illud gravissimum: „sese mirari, quod laudibus efferant, quae fortuita sint et multis iamiam contigerint, optimum vero et maximum non commemorent — *οὐδεὶς γὰρ δι᾽ ἐμὲ τῶν ὄντων Ἀθηναίων μέλαν ἱμάτιον περιεβάλετο* —" Magna profecto viroque bono dignissima vox! quam equidem existimo, ingenii non esse hebescentis morbique diuturnitate languentis, sed animum potius testari magnum et bene recteque factorum conscium. Conf. *Voy. du ieune Anach.* p. 309. Idem habet BAYLE in *Dict. histor. et crit. Pericl.* il mourut après une longue maladie, qui lui avoit affoibli le iugement — Plutarchum plane secutus.

bus deditum opibusque omnibus profusis in paupertatem redactum, cum Callia quodam et Nicia cicuta sibi mortem conscivisse; a) quod omnium falsissimum et mendacissimum est.

Socratem illo tempore peste non tentatum esse, *Aelianus* refert; b) quod quidem Socratem corpori firmo ac robusto debuisse nec non temperantiae, cui deditus fuerit, idem existimat. Non pertinet huc disquirere, num corporis firmitas ad contagium minus suscipiendum faciat, nec ne; cum exempla doceant, morbo epidemico corripi, quicunque bono gaudeant habitu optimeque valeant. *Thucydides* ipse memoriae prodit, nullum corpus, sive fuerit firmae, sive infirmae valetudinis, mali violentiae resistere potuisse. c) Quare si sententiam libere proferre licet, hanc morbi immunitatem praeter vitam Socratis moderatam, cui *Aëtius* d) quoque plurimam tribuit vim in corpore servando et a pestis contagione defendendo, in animo Socratis ponerem placido nec ullo timore aliaque perturbatione commoto; cum experientia omnis aevi comprobatum sit, animum demissum, solicitum timorisque plenum contagio recipiendo multum favere.

---

a) v. Aelian. *Var. Hist.* Lib. IV. c. 23. *ἐπεὶ γὰρ ἐπέλιπε τὰ χρήματα αὐτοὺς, οἱ τρεῖς* (sc. Pericles et consortes) *κώνειον τελευταίαν πρόποσιν, ἀλλήλοις προπίοντες ὥςπεροῦν ἐκ συμποσίου ἀνέλυσαν·* Nonnulli quoque critici in eo consentiunt, *Περικλέα* hic falso scriptum et *Αντοκλέα* s. *Αυτοκλέα* legendum esse.

b) v. Aeljan. *Var. Hist.* Lib. XIII. c. 27. *καὶ ταύτῃ ἐνόσουν Ἀθηναῖοι πανδημεὶ, καὶ οἱ μὲν ἀπέθνησκον, οἱ δὲ ἐπιθανατίως εἶχον, Σωκράτης δὲ μόνος οὐκ ἐνόσησε τὴν ἀρχήν.* Conf. Avl. Gell. *Noct. att*, Lib. II. c. 2.

c) v. Thvc. p. 76. *σῶμα τε αὔταρκες ὂν οὐδὲν διεφάνη πρὸς αὐτὸ, ἰσχύος περὶ ἢ ἀσθενείας, ἀλλὰ πάντα ξυνῄρει.*

d) v. Aet. p. 91. *ὅταν γέ τις συμμέτροις τε πόνοις, καὶ βίῳ σώφρονι καὶ κεκολασμένῳ χρῆται, τὸ σύμπαν ἀπαθὴς διαμένοι κατὰ πάσας τὰς τοιαύτας διαθέσεις* (sc. *λοιμώδεις*).

CAP. VII.

Quid morbis, praesertim pestilentibus abigendis veteres adhibuerint? Quid ad pestem sedandam Athenienses fecerint? Et quinam fuerint illo tempore Atheniensium medici?

Expiationibus et lustrationibus ad morbos profligandos veteres usos esse, iam inde perspicuum est, quod ad deos eorumque iram morborum causas retulerint. Incantationes [a]) artemque musicam [b]) eundem in finem adhibitas esse, neminem fugit. Sic Epimenides Cretensis Athenas vocatus, ut peste eas liberaret, expiatione pestilentiam avertisse narratur; quam expiationem si quis cognoscere vult, videat *Diogenem Laërtium*, qui fusius hac de re loquitur. [c]) Non est, quod hic de Empedocle verba faciam, qui secundum *Diogenem Laërtium* pelles asinis detrahi utresque ex iis formari iussit, quibus circa montium cacumina exten-

---

a) v. *Etym. M.* sub voce ἐπαοιδή — Ἰστέον, ὅτι ἀρχαία ἐστὶν ἡ διὰ τῆς ἐπαοιδῆς θεραπεία. Ὅμηρος — παῦε δι' ἐπαοιδῆς αἷμα κελαινόν etc. Conf. IAMBLICH. *de vit. Pythag.* p. 111. et HIPP. *de morb. sacr.* Sect. III. p. 302. ubi in expiatores et circulatores invehitur, qui rationibus idoneis allatis, tutam sibi curationis viam proponant, expiationes offerentes et incantationes (καθαρμοὺς προσφέροντες καὶ ἐπαοιδάς).

b) v. PLVT. *de mus.* p. 1146. ubi Thaletas Cretensis pestem Lacedaemone grassantem musica áverruncasse narratur. *Homerus* quoque Graecos musica pestem depulisse, his versibus scribit (v. *Iliad. Rhaps.* I. v. 472 et sqq.):

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
καλὸν ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι Ἀχαιῶν
μέλποντες ἑκάεργον —

Conf. IAMBLICH. l. c. p. 148 et 169. Quantam Pythagorei tribuerint arti musicae potestatem, animi corporisque motus turbulentos sedandi, notum est.

c) v. DIOG. LAERT. *de vit. dogm.* etc. Epim. p. 29. Conf. CIC. *de divin.* Lib. I. c. 18. APVLEI. *de mag.* Vol. II. p. 31. IAMBLICH. l. c. p. 128. PORPHYR. *vit. Pythag.* p. 193. EVSEB. *Praep. evang.* p. 226. Epimenides inde καθαρτῆς ἐνθουσιαστικὸς nominatus est.

sis aër pestilens exciperetur. [a]) Quod quidem Plutarchus aliter narrat. [b])

Diximus in ea disputationis parte, in qua causas mali exposuimus, Athenienses pestem ab Apolline ipsis immissam, deum igitur placandum esse censuisse. Narrat *Diodorus Siculus*, Athenienses oraculi admonitu insulam Delum, Apollini sacram, lustrasse, quam sepultis inibi defunctorum cadaveribus inquinatam putarent; omnes igitur urnas effossas in insulam Rheneam, quae Delo vicina est, transtulisse: lege insuper sancita, *ne cui parere, neque sepelire in Delo fas esset.* [c]) Festum quoque Deliorum panegyricum, quod ex longo tempore non celebratum fuit, instauraverunt. *Thucydides* scribit, neque supplicationes, quas Athenienses ad deorum templa fecerint, neque oraculorum sciscitationes usus fuisse; quare ista tandem missa fecerunt. [d]) Pericles quoque, teste *Plutarcho*, amico cuipiam, qui ipsum invisebat, *amuletum* a mulieribus e collo suspensum ostendisse traditur; [e]) unde videmus, iam illis temporibus eiusmodi res, quibus contra morborum vim homines sese munierunt, in usu fuisse.

---

a) v. Diog. Laërt. Lib. VIII. segm. 60. Idem ineptum habet Svidas v. *Ἐμπεδοκλῆς*. Conf. Clem. Alex. *Strom.* Lib. VI. p. 630. quo in loco carmen in Empedoclem legitur. Iambl. et Porphyr. l. c. eius mentionem faciunt. Empedocles inde *Κωλυσανέμας* dictus est.

b) v. Plvt. *de curios.* T. III. p. 76. (Ed. Wytt.) ubi Empedocles montis hiatum, unde gravis et insalubris in planitiem exhalaret auster, abturavisse pestemque ita ea regione exclusisse traditur.

c) v. Diod. Sic. l. c. *ἔταξαν δὲ καὶ νόμον, μήτε τίκτειν ἐν τῇ Δήλῳ, μήτε θάπτειν.* Scriptores enim mythologici narrant, Latonam in Delo Apollinem et Dianam enixam esse.

d) v. Thvc. p. 71. *ὅσα τε πρὸς ἱεροῖς ἱκέτευσαν, ἢ μαντείοις καὶ τοῖς τοιούτοις ἐχρήσαντο, πάντα ἀνωφελῆ ἦν.*

e) v. Plvt. *in vit. Per.* p. 173. — *ὅτι νοσῶν ὁ Περικλῆς ἐπισκοπουμένῳ τινὶ τῶν φίλων δείξειε περίαπτον ὑπὸ τῶν γυναικῶν τῷ τραχήλῳ περιηρτημένον* — Conf. Bacon. *Hist. nat.* p. 960. Et olim (ut Periclis Atheniensis exemplum docet) et nunc usitatum, gestare vesicas ex Mercurio vivo aut tabellas ex arsenico, pestis amuletum.

Fuerunt quidem Atheniensibus, qui ipsos curarent, medici; cum certam vero morbi cognitionem non haberent, ei ab initio mederi non potuerunt, sed potissimum et ipsi morbo absumti sunt, quo magis ad aegrotos accesserunt. a) Nullum quoque remedium repertum est, quod utilitatem praestitisset; quod enim alteri profuit, id alteri noxam attulit. b) Ceterum qui summis tantum labris artis medicae historiam attigit, eum neutiquam effugere arbitror, medicos illius aevi aegrotis praecepta inprimis dedisse diaetetica; deinde remedia iis propinavisse, quae vel alvum ducerent, vel vomitum cierent, vel sudorem elicerent. Helleborum album hunc in finem saepius in usum esse vocatum, notissimum est.

Chirurgia multum exculta fuit. Scripta Hippocratis bona continent praecepta, fasciis partes corporis laesas rite involvendi et instrumenta dextere admovendi. Sanguinis missiones iam diu in usu fuisse, pariter constat. Locus quidam *Lucretii* nos edocet, Athenienses chirurgorum medelam expertos esse; *Thucydidis* locum eandem admittere interpretationem, probabimus. *Lucretius* dicit v. 1207 et sqq.:

Vivebant ferro privati parte virili:
Et manibus sine nonnulli pedibusque manebant
In vita tamen —

Cultro igitur chirurgico medicos usos esse, inde apparet.

---

a) v. Thuc. p. 71. οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν τοπρῶτον θεραπεύοντες ἀγνοίᾳ, ἀλλ᾽ αὐτοὶ μάλιστα ἔθνησκον, ὅσῳ καὶ μάλιστα προσῄεσαν.

b) v. Thuc. p. 76. ἕν δὲ οὐδὲν κατέστη ἴαμα, ὡς εἰπεῖν, ὅ, τι χρῆν προσφέροντας ὠφελεῖν· τὸ γὰρ τῷ ξυνενεγκὸν, ἄλλον τοῦτο ἔβλαπτε. Quod Lucr. v. 1224 et sqq. ita expressit.

Nec ratio remedi communis certa dabatur.
Nam quod alis dederat vitaleis aëris auras
Volvere in ore licere, et coeli templa tueri:
Hoc aliis erat exitio, lethumque parabat.

Conf. Ovid. l. c. v. 517.

Optime autem hunc locum illustrant cum quae antecedunt, tum quae sequuntur. Versus enim, qui praecedit, est:

Et graviter partim metuentes limina lethi,

et qui sequitur:

Vsque adeo mortis metus hic incusserat acer.

Vnde iam videmus, passos esse aegrotos pudenda sibi amputari, ut mortem, quam gangraena adduxisset, effugerent. Qui vero sequitur versus, est quasi poëtae apostrophe, dicere volentis: tantum in hominibus mortis metus valet, ut mutilationes vel turpissimas aequo ferant animo, dummodo his vita conservetur. *Thucydidis* locus est: καὶ πολλοὶ στερισκόμενοι τούτων διέφυγον i. e. et multi privati illis effugerunt. Iam existimat *Petr. Victorius*, [a]) Lucretium non recte assecutum esse Thucydidis sententiam, quod hunc Thucydidis locum ratione, quam modo attuli, in sermonem verterit latinum. Sed verbum „στερισκόμενοι“ i. e. patientes privari sc. a chirurgo illud Lucretii iam continet, nec solam partium qualemcunque affectionem denotare potest. Quam si auctor intellexisset, alio profecto usus esset verbo, ut ἀντιλαμβάνεσθαι, cum paulo ante ἀντιλήψιν τῶν ἀκρωτηρίων commemoravisset. Lucretium defendit praeter *Lambinum Hier. Mercurialis.* [a])

Magna quaestio est, num Hippocrates Atheniensibus auxilium tulerit. [c]) Si orationi, quam Thessalus ad Athenienses

---

a) v. *Var. Lect.* Lib. XXXV. c. 8.

b) v. *Var. Lect.* Lib. III. c. 12.

c) Bello peloponnesiaco artem medicam ab Hippocrate maxime excultam esse, *Plinius* his testatur verbis (v. *H. N.* Lib. XXIX. c. 1.) Sequentia eius (medicinae) a troianis temporibus, mirum dictu, in nocte densissima latuere, usque ad pelop. bellum. Tunc eam in lucem revocavit Hippocrates.

habuit, fides habenda est, Hippocrates per Graeciam filios, generum et discipulos dimisit, ut peste laborantibus succurrerent. [a]) Sic Atheniensibus filium Thessalum auxilio misit, postea et ipse Athenas sese contulit. [b]) Extat quoque in Hippocratis scriptis, quae pro spuriis plerique habent critici, Atheniensium senatusconsultum, quo ediscimus, publice Hippocrati gratias esse decretas pro tantis in ipsos collatis beneficiis. Tria in illo enumerantur, quibus Hippocrates Atheniensium animos sibi devinxisset. [c]) Primum, quod Graecos peste liberaverit; deinde quod scripta de re medica in lucem protulisset, omnesque ita artis medicae participes reddidisset; denique quod barbaris, qui Graecorum hostes essent, cum peste premerentur, operam denegasset. [d]) Quae beneficia Athenienses his remunerati sunt officiis: ut Hippocrates publice sacris initiaretur eleusiniis; coronam acciperet auream mille aureorum; [e]) ut Coorum liberis liceret Athenis pubertatem age-

---

a) v. *Orat. Thess. ad Ath.* (*Hipp.* Op. p. 1295.) *καὶ ἄλλους τῶν μαθητέων διέπεμπεν ἐς ἑτέρας ἑτέρων καὶ πρὸς ἀγορὰς καὶ ὁδοὺς πορευσομένους· ὅπως ὅτι πλείστοις ἐπαρῆξαι.* Conf. Galen. *opt. med. et philos.* p. 9. *ἀπολείψει δὲ Κώοις μὲν καὶ πολίταις Πόλυβόν τε* (quod nomen gener Hippocratis gerit) *καὶ τοὺς ἄλλους μαθητάς.* Plin. *H. N.* Lib. VII. c. 37. discipulosque ad auxiliandum circa urbes dimisit: quod ob meritum honores illi, quos Herculi, Graecia decrevit.

b) v. *Or. Thess.* *τοῖς δ᾽ ἐκεῖ* (sc. Boeotiis) *ἐπαμύνας ἀναλόγως, ἐν τῇ ὑμετέρῃ ἥει* — Extat in Hipp. *Epid.* Lib. III. Sect. VII. Aegr. 16. p. 1080. historia feminae aegrotae, quae in mendacium foro (*ἐπὶ ψευδέων ἀγορῇ*) decubuit. Sed *Galenus* (v. *in Libr. III. Epid.* Comm. II. p. 417. 43.) dicit, non liquere, utrum Athenis, an alia in urbe haec fomina aegrotaverit (*εἴτ᾽ Ἀθήνησιν ἐν τῇ τῶν Κερκώπων ἀγορῇ κατέκειτο τοῦτο τὸ γύναιον, εἴτ᾽ ἐν ἄλλῃ πόλει* etc.)

c) v. *Senatuscons. Ath.* (*Hipp. op.* p. 1290.)

d) Praeter loca laudata conf. Galen. *opt. med. et philos.* p. 9. et Stob. *Eclog. Sent. Serm.* XIII. p. 146. ubi quidam Hippocrati suadet ad regem ire, bonum esse dicens regem; sed Graecus respondit: mihi non opus est bono domino (*οὐ δέομαι χρηστοῦ δεσπότου*). *Voy. du ieune Anach.* p. 308.

e) Conf. praeter *Senatusc.* Actvar. *Meth. med.* T. II. L. V. p. 404. et *de Medic. comp.* T. III. p. 86. Hippocratis antidotum, quo pestilenti contagione populatim grassante Athenis, usus, corona ab Atheniensibus donatus est.

re; ut civitate Hippocrates donaretur victusque ipsi publicus in Prytaneo per omne vitae tempus concederetur. Quantum ad tertium Hippocratis beneficium, quod barbaris nimirum auxilium non tulerit, extant quidem epistolae, quas Artaxerxes Macrochir Paeto et Hystani satrapis misisse traditur, ut Hippocratem ad opem Persis ferendam arcesserent. [a]) Adsunt quoque Artaxerxis literae ad Coos, in quibus, ut Hippocratem ipsi tradant, imperat; sin minus, urbem sese ferro et igne devastaturum soloque aequaturum esse, minitatur. [b]) Et Coorum reponsum animos magnos testatur et fortes, Graecis profecto dignissimos. [c]) Quotquot autem sunt epistolae, fide carent historica. Ceterum plane ex more Graecorum est, barbaris non succurrere; quamobrem hunc respiciens, illud Hippocratis factum in dubium non vocaturus sum. Fuit Hippocrates *φιλέλλην*; an *φιλάνθρωπος* fuerit, forsitan quis dubitabit. Illo quidem tempore suos servare praestitisset, quam aliorum suscipere curationem; et qui Hippocratis iusiurandum legerit, omnis ipsi dubitatio sublata erit.

Sunt vero alii, magna valentes auctoritate, qui Hippocratem pestis tempore Athenis commoratum esse confirmant. *Aetius* narrat, Hippocratem magnis ignibus accensis aërem effecisse puriorem et salubriorem; [d]) quibus *Galenus* addit,

---

a) v. *Epist. Artax. ad Hyst.* (*Hipp. op.* p. 1272.) δὸς οὖν αὐτῷ χρυσὸν ὁκόσον ἂν βούληται, καὶ τὰ ἄλλα χύδην ὧν σπανίζει· καὶ πέμπε ἐς ἡμέας· ἔσται γὰρ ἰσότιμος Περσέων τοῖς ἀρίστοις.

b) v. *Epist. ad Coos.* (*Hipp. op.* p, 1273) δηϊώσας γὰρ τὴν ὑμετέραν πόλιν, καὶ νῆσον κατασπάσας, εἰς πέλαγος ποιήσω —

c) v. *Resp. Coor.* οὔτε δώσουσιν Ἱπποκράτεα, οὐδὲ εἰ μέλλοιεν ὀλέθρῳ τῷ κακίστῳ ἀπολέσθαι.

d) v. Aet. p. 91. καὶ ἀναγκαῖον δέ τις πύρα πολλὴ δύναιτ᾽ ἂν μεταβαλεῖν ἐπὶ τὸ θερμὸν καὶ ξηρὸν τὸν ἀέρα, ὡς ὑγρὸν γιγνόμενον καὶ ψυχρὸν, καθάπερ ποιῆσαι φασὶν Ἱπποκράτην ἐν Ἀθήναις.

lignis eum suaveolentibus aliisque, quae bonum spirent odorem, ad ignes alendos usum esse medicamentis. [a] *Plutarchus* quoque affirmat, ignem medicos pro remedio adversus pestem habere; quippe qui aërem extenuet; quod melius fieri dicit, si ligna odorata urantur, ut cupressi, iuniperi, piceae. [b] Ita Acronem medicum pestis tempore Athenis quondam commorantem, magnam sibi paravisse gloriam aiunt, qui ignem Athenienses pone aegrotantes accendere iussit. [c]

Maximis igitur premitur difficultatibus certo eruere, num Hippocrates magnus Atheniensibus, peste laborantibus, quam Thucydides descripsit, subvenerit, nec ne. In Thessali oratione atque in vita Hippocratis secundum Soranum pestis mentio fit, quae ab Illyriis in Atticam venerit; [d] Illyrium vero Graecis septentrionem versus spectare, notum est. Cum de morbi origine loqueremur, pestem ex Aethiopia et Aegypto ortum duxisse, vidimus; quae quidem terrae Graecis meridiem versus sitae sunt. Porro, si ex omnium fere consensu Hippocrates Ol. LXXX. 1. (a. Chr. 460) natus est, [e] atque si pestis Ol. LXXXVII. 2. (a. Chr. 430) Athenis saeviit, Hippo-

a) v. Galen. *de ther. ad Pis.* T. II. p. 467. *κελεύσας οὖν ἀνὰ τὴν πόλιν ὅλην ἐξάπτεσθαι τὸ πῦρ, οὐχ ἁπλὴν τῆς ἀνάψεως τὴν ὕλην ἔχον, ἀλλὰ στεφάνων τε καὶ τῶν ἀνθῶν τὰ εὐωδέστατα, τοιαῦτα συνεβούλευσεν εἶναι τοῦ πυρὸς τὴν τροφὴν, καὶ ἐπισπεύδειν αὐτῷ τῶν μύρων τὰ λιπαρώτατα, καὶ ἡδεῖαν τὴν ὀδμὴν ἔχοντα* etc. Conf. *Voy. du ieune Anach.* l. c.

b) v. Plvt. *de Is. et Osir.* T. II. p. 568. *λεπτύνει δὲ βέλτιον, ἐὰν εὐώδη ξύλα καίωσιν, οἷα κυπαρίττου καὶ ἀρκεύθου καὶ πεύκης.*

c) v. Plvt. *de Is. et Osir.* l. c. Conf. Svid. *Lex.* sub voce *Ἄκρων*. Hier. Mercvr. *Var. Lect.* Lib. II. c. 18. putat, remedium illud Hippocratem ab Acrone accepisse, cum Acron Hippocrate antiquior fuerit. Eiusdem Acronis mentionem faciunt *Aëtius* et *Paul. Aegin.* l. c. Conf. le Clerc *Hist. de la med.* Lib. II. c. 35.

d) v. *Or. Thess.* p. 1294. *ὁκότε λοιμοῦ ῥέοντος διὰ τῆς βαρβάρου ἣ ὑπερκεῖται Ἰλλυρίων καὶ Παιόνων;* et *Vit. Hipp. ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν Ἰλλυρίων καὶ Παιόνων βαρβάρων γῆν λοιμοῦ κατασκήψαντος.* Conf. Plin. *H. N.* Lib. VII. c. 37. venientem ab Illyriis pestilentiam praedixit.

e) v. *Vit. Hipp. sec. Soran.* (*Hipp. op.* p. 1297.) *γεννηθεὶς — κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς ὀλυμπιάδος,*

crates eo tempore annos XXX emensus erat. Et quanquam hac aetate constitutus, prospero cum successu medicinam facere et magna auctoritate apud Graecos valere potuit, filios tamen et generum per Graeciae urbes dimittere haud potuit. Denique valde mirum videtur, quod Thucydides ne ullo quidem verbo Hippocratis meminerit, auxilio Atheniensibus venientis. Quare aut alia est pestis, qua famae celebritatem Hippocrates consecutus est, aut certe non ea, cuius historiam Thucydides nobis tradidit. [a])

a) Conf. LE CLERC. Part. I. Lib. III. c. 31. p. 244–245 et SPRENGEL l. c. p. 371.